ISAACI VOSSII
OBSERVATIONUM
AD
POMP. MELAM
APPENDIX.

Accedit ejuſdem ad
Tertias *P. Simonii* Objectiones Reſponſio.
Subjungitur
Pauli Colomeſii ad *Henricum Juſtellum*
EPISTOLA.

Londini, Proſtant apud *Robertum Scott*,
Bibliopolam, MDCLXXXVI.

ISAACI VOSSII

OBSERVATIONUM

AD

POMP. MELAM

APPENDIX.

Accedit ejusdem ad

Petri P. Simonii Objectiones Responsio.

Subjungitur

Pauli Colomesii ad Henricum Wheelocum

EPISTOLA.

3265 : 11

Londini, Prostant apud Robertum Scott,
Bibliopolam. MDCLXXXVI.

Augustissimo Monarchæ

CAROLO II.

D. G.

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ

ET HIBERNIÆ REGI,

DEFENSORI FIDEI,

ET OMNIUM

QUOTQUOT IN ORBE CHRISTIANO

SOL ASPICIT URBIUM

MAXIMÆ, OPULENTISSIMÆ & PULCHERRIMÆ

CONDITORI:

Observationum suarum Librum,

DEDICAT CONSECRATQUE

Observantissimus Cliens,

ISAACUS VOSSIUS.

326:11

ISAACUS VOSSIUS

JO. GEORGIO GRÆVIO

Viro Doctissimo Salutem.

NOvam Pomponii Melæ editionem una cum novis Jacobi Gronovii annotatis traditam mihi ab illo, cui eam commiseras amico, non libenter tantúm, sed avide etiam evolvi. Quid de hoc sentiam scripto ut tibi significem proculdubio expectas. Paucis expediam, juvenis iste valde est iracundus, magnoque mihi in periculo versari videtur, ni medici aut venæ sectione, aut alio remedio efferveſcentis circa cor sanguinis compescant redundantiam. Verum de hoc viderint Æsculapii vestri, mihi enim nondum satis constat, num ex prava corporis constitutione, an vero ex animi vitio istæ quæ eum tenent & macerant proveniant intemperiæ. Tu cum à multis jam annis perspectam & exploratam ejus habeas indolem, optime de his judicabis. Nam quod ipse prætendit, non se potuisse nisi ægris & lacrymantibus oculis legere ea, quæ olim contra Salmasium scripsi, recente & cruda etiamnum memoria injuriæ & damni quod ab eo fueram perpessus; id nemini facile persuaserit, & certe cui tam futili de causa profluentes risum non excutiant lacrymæ? Si tanto affectus fervore magnum illum prosequatur virum, cur eum ab injustis, si ita existimat, non vindicat reprehensionibus? Ne semel quidem id facit, quin potius spretis & neglectis Salmasii lectionibus,

ſi non ſemper veris, doctis tamen & præclaris, ſuas obtrudere conatur ineptias, in quibus nec Græci nec Romani ſermonis conſtat ratio. Ipſe tamen utriuſque me linguæ hoſpitem eſſe cenſet, & ut me Græce neſcire evincat, locum producit Arriani, quem male à me intellectum fuiſſe affirmat. Verba Arriani hæc ſunt; προελθόντι δὲ ὅσον σταδίους τριάκοντα ὑπόπετρος ἡ γῆ ἐφαίνετο οἷα διακοπεῖσα. Iſta ſic reddidi, *Quumque ad ſtadia triginta progreſſus eſſet petroſa occurrit terra quamque interciſam fuiſſe comparebat.* Mirifice hic excandeſcit minime ſui potens juvenis & quærit; *Unde iſtud occurrit & comparebat? Etenim ſi* ἐφαίνετο *ad priora jungi debet, non niſi occurrit ſignificare poteſt: ſi ad poſteriora & notabit comparebat, unde petiit illud* occurrit? *Alterutrum certe eſt merum commentum cerebri Voſſiani,* &c. Æquum ſane eſt ut meo qualicunque contentus ſim cerebro, cum iſte juvenis, etiamſi nullum habeat, adeo tamen ſit contentus. Si quid enim haberet, utique vidiſſet eſſe, ellipſin participii, cujus integrum ſit, ὑπόπετρος οὖσα ἡ γῆ ἐφαίνετο οἷα διακοπεῖσα. Ad verbum id fuerit, *Progreſſo vero ad ſtadia triginta petroſa terra exiſtens apparebat veluti interciſa.* Verum nos eam quam dedimus præferendam cenſuimus verſionem. Quærit dein *an ſic interciſa fuerit ea foſſa, ut jam non amplius eſſet interciſa?* Ineptum quæſitum, quid enim clarius eo quod ſcribit Arrianus foſſam eam fuiſſe apertam; id enim ſi non ſit, an non ſtultum fuiſſet Alexandri de obſtruenda ea propoſitum? Poſt futilem dein exclamationem iterum quærit, quomodo appareret foſſam eam interciſam fuiſſe? Vel puer hoc intelligat: per triginta enim ſtadia, quod tellus eſſet paluſtris & cœnoſa, nulla poterant foſſionis ſupereſſe veſtigia, At vero ſaxeo occurrente ſolo, jam clare ut habet Arrianus interciſionis apparuere ſigna. Pergit; *atqui nunquam interciſa fuerat.* Quomodo foſſa, quomodo διώρυξ ſine interciſione poteſt ſubſiſtere? Addit dein, *inepte me* ἀποστροφὴν *vertiſſe divortium, cum notet repreſſionem & continentiam Euphratis intra*

ripas

ripas & aversionem ab alveo in fossam. Quis hæc intelligat aut quomodo hæc cohærent? Si ἀποστροφὴ hoc in loco significet repressionem & continentiam Euphratis intra ripas, quomodo potest notare aversionem ab alveo in fossam, cum istæc manifeste sibi invicem sint contraria? Sed & unde habet ἀποστροφὴν notare repressionem seu continentiam intra ripas, ipsa vocis reclamante natura? Quod si alteram quam ponit admittat expositionem, habemus divortium, habemus quod volumus, & ipse in perniciem suam proprio miser se oblinit visco. Frustra ad Salmasium provocat cum scribit divortia, diverticula seu divergia fluminum à Ptolemæo vocari ἐκτροπὰς, & recte quidem, cum ἀποστροφαὶ & ἐκτροπαὶ subsistere nequeant, nisi à recto cursu detorqueantur flumina, sive illa simplici decurrant alveo, sive dividantur & partem aquarum in alium transferant alveum. Pergit tamen nugari & sic argumentatur; *Si firmiter obstrueretur ostium, qua in Pallacopam exit Euphrates, etsi quoque illa pars, quam intercisam fuisse comparebat, denuo conjungeretur, quo igitur iturus erat Euphrates? Quo illud divortium fluminis ducetur, si nullum ex duabus ripæ aperturis pateret?* Multa quidem hic sunt verba, sed multo plures ineptiæ, nec Arrianum imtelligit & ipse quid scribit nescit. Ut reliqua taceam, unde demum colligit duas istas obstructiones, cum de uno tantum Pallacopæ Arrianus loquatur ostio, quod obstruatur, ecquis dubitat, quin solo nativo contentus Euphrates fluat alveo? Ignorat quid sit ξυναφὴς; & quidquid non intelligit monstrosum putat. Adeóne quis in lingua Græca hospes sit, ut Græcum esse neget id quod in versione posuimus, εἰ ξυναφὴς γένοιτο, τῇ πάλαι διώρυγι τῇ κατὰ τὴν Πελιακόπην οὔτ' ἂν διαχεῖσθαι παρέχειν τὸ ὕδωρ ὑπὸ στερρότητος τῆς γῆς, τήν τε ἀποστροφὴν αὐτοῦ τῇ τεταγμένῃ ὥρᾳ μὴ χαλεπῶς γίγνεσθαι. De ea nempe saxea & intercisa terra dicit, si ut olim, ita quoque nunc saxeo aggere conjungatur & continua fiat, non amplius in antiquam Pallacopæ fossam propter soliditatem lapidei operis aquas

ſuas tranſmiſſurum Euphratem, nec Alexandro difficile fore quandocunque vellet Euphratem ad priſtinum & naturalem revocare alveum. Illa tamen tam clara & manifeſta non capit iſte juvenis, cui ſtulta iracundia non rectos tantum, ſed & omnes prorſus excuſſit ſenſus. Pergit tamen ineptire & negat foſſam hanc Arabas habere auctores, & ex Arriano perſpicue conſtare ab Aſſyriis eam fuiſſe factam, ut ab inundationibus Euphratis terras ſuas liberarent. Itaque Alexandrum renovaturum eam foſſam, non Arabibus, ſed Aſſyriis voluiſſe gratificari, idque diſerte teſtare Arrianum. Facile aliquis hinc colligat iſtum infelicis judicii juvenem quantumvis antiquos legat ſcriptores, illos tamen non intelligere. Errorum texit Odyſſeam, cum ne vel unum quidem eorum, quæ hic affirmat, apud Arrianum reperiatur, quin potius omnia habeat contraria. Manifeſte & pluribus verbis docet is, niſi obſtruatur alveus Pallacopæ, qui totus fluit in ditione Arabum, fore ut univerſum exhauriat & abſorbeat Euphratem, adeo ut nihil aquæ ſuperſit, qua Aſſyriorum irrigentur terræ. Nihil ille de nimia Euphratis in campos Aſſyrios exundatione, cum majorem inundationem major ubertas & rerum conſequatur copia. Nuſquam Aſſyrios foſſæ hujus auctores facit, ſed illos ipſos laborantes inducit in obturando foſſæ hujus oſtio. Nuſquam etiam apnd illum de reparanda, ſed obſtruenda hac foſſa cogitantem invenias Alexandrum. Quod ſi non contentus Arriano alium quoque poſtulet teſtem, audiat Appianum, ſecundo Civil. Bellorum, hæc eadem narrantem; Ἐσελθὼν γε μὴν ἐς πλέων κατὰ τὸν Εὐφράτην ἐπὶ τὸν ποταμὸν Παλλακότταν, ὃς τὸν Εὐφράτην ὑπολαμβάνων ἐς ἕλη ἐς λίμνας ἐκφέρει ἐς κωλύει τὴν Ασσυρίδα γῆν ἄρδην ἐπιπλέειν· ἐπινοοῦντα δὴ τοῦτον διατειχίσαι τὸν ποταμὸν, ἐς ἐπὶ τοῦτον ἐκπλέοντα, &c. *Navigans per Euphratem ad Pallacottam fluvium, qui Euphratem excipiens in paludes & ſtagna abducit, & impedit quominus* Euphrates *Aſſyriam terram penitus inundet. Illum fluvium* [Pallacottam nempe] *cum*

muro

muro interjecto in animo haberet obſtruere. &c. Quem Pallacopam Arrianus, eum Pallacottam vocat Appianus, & ſic fere vetera Plinii exemplaria. Clarum eſt itaque ab Arabibus & Chaldæis, qui & ipſi fuere Arabes, ductam fuiſſe antiquam hanc Pallacopæ ſeu Pallacottæ foſſam, quæ totam Babyloniam ejuſque portionem Chaldæam ad ſinum pene uſque Perſicum irrigabat. Quod ſiquis miretur quomodo in detrimentum terrarum trans Euphratem reges Aſſyriorum foſſam iſtam fieri permiſerint, habeat is pro reſponſo tredecim primos Aſſyriorum reges omnes Chaldæos fuiſſe vel Arabas, ut ex Beroſo teſtatur Africanus, & ex illo Syncellus. Atque hæc de loco Arriani dicta ſufficiant. Ut vero cognoſcas, mi Grævi, feliciórne in cæteris iſte ſit juvenis, excutiamus ea & videamus ecquid in receſſu contineant.

AD PROOEMIUM.

ET quod ſine ope ingenii orantis at ipſa ſui contemplatione.] Monui antitheton *at* expungendum eſſe, utpote quod ſenſum turbet, & manifeſte additum ſit ab iis, qui cum *ſi non* pro *ſine* in vitioſis ſcriptum inveniſſent exemplaribus, imperfectam eſſe crederent orationem, ſi abeſſet antitheton. Anonymus juvenis meam hic admiratur audaciam: ego vero magnam ejus miror impudentiam. Pro *at* ipſe *ac* legendum eſſe affirmat & ſic confectam ſeſe rem habere exiſtimat. Nempe ut oſtendat ſolemne eſſe Pomponio ſic balbutire complura profert exempla, quorum ne unum quidem ſuccedit. Nam quod attinet locum de Colubraria ad finem lib. 11. in eo omnino fallitur, neque enim eſt Latinum *Colubria ſine pernicie & rata eſt.* Libri veteres non conſentiunt. In Vaticano ſic legitur, *tamen ingreſſis eam intra id ſpatium, quod Ebuſitana humo circum* (at. *ſeptum*) *ſignaverunt, ſine pernicie & rara eſt.* In illo cui multum tribuimus, *ſine pernicie tarra eſt.* Vinetus

Vinetus è ſuis libris edidit, *ſine pernicie terra eſt.* In Arundelliano eſt lacuna, abeſtque ab eo vox penultima, uti fere fieri ſolet quandocunque non uſitatæ & non intellectæ occurrunt voces. Scripſerat nempe Mela *ſine pernicie & terre eſt. Terre* pro *terrore* ut alibi monuimus, habetque & activam & paſſivam ſignificationem. Fallitur quoque cum adducit hæc verba; *Araxes ingenti cum murmure ſonanſque devolvitur.* Plus eſt enim ſonus quam murmur, quod quantumvis magnum ſit, obſcurum tamen & compreſſum minimeque apertum efficit ſonitum. Nihilo melius eſt quod ſequitur de Ægyptiis, *Cibos palam & extra ſua tecta capiunt.* Etiam qui apertis foribus in ipſo accumbunt veſtibulo, palam cibos poſſunt capere. At vero longe apertius cœnant & prandent, qui menſas in viis inſtruunt publicis, uti faciebant Ægyptii. Ultimum quod adducit exemplum, nec hoc quidquam ad rem facit; *Terret ingredientes ſonitu cymbalorum divinitus & magno fragore crepitantium.* Quis enim neget plus eſſe fragorem quam ſonitum. Recte itaque dicit non redundare in his locis copulam, ſed quod addit explicationis gratia accedere prioribus, quod nimis abſolute dicta videantur, id quid ſibi velit nemo facile dixerit. In tribus enim quæ præceſſere locis, non explicationis, aut coercendi ſermonis ergo poſteriora accedunt verba; ſed ut incrementum habeat oratio. Ut itaque vitetur vitioſus & ſententiam turbans pleonaſmus, aut admittenda eſt ea quam dedimus lectio, aut retinenda librorum ſcriptura, quam non mutaſſet juvenis iſte, ſcribendo *ac* pro *at*, ſi judicio valeret. *At* enim ſæpe accipitur pro *ſaltem, at ſaltem.*

AD CAP. I.

Hujus medio terra ſublimis] Sic Vaticanus & meliores libri, ipſaque ſic legi debere exigit ratio. Poſtquam mundi cœlique & partium ejus mentionem fecit, addit, *hujus*

hujus ſcilicet mundi cœlique medium occupari à tellure. Novus tamen iſte interpres putat Melam ſcripſiſſe *horum* vel *harum medio*, nempe partium. Verum putida eſt hæc conjectura & nullius ſignificationis. Ipſe tamen pertendit Græcos ſic loqui, cum dicunt γῆν ἐν μέσῳ οὐρανῷ. Sed hoc rectum eſſe etiam pueri intelligunt. Debuiſſet aliquem oſtendere qui ſcripſiſſet γῆν ἐν μέσῳ μερῶν οὐρανοῦ, quomodo nemo ſanæ mentis unquam locutus eſt; cum ſiquid ſit in medio partium univerſi, deſinat eſſe in medio univerſi.

Ingens iterum & magno ſe extendit ambitu] Quod in Vaticano & in aliis libris legitur *magno paludi*, ſatis id arguit vitium ſubeſſe. In quibuſdam correctum *Magnæ paludi*. Sed veram lectionem dedit Aldus, de qua non dubitaſſet Pintianus, ſi complura vetuſta quæ conſuluimus vidiſſet exemplaria, & præ cæteris optimæ notæ Arundellianum, in quibus ea quam dedimus ſine ulla litura occurrit lectio. Ferociter hic inſurgit bilioſus juvenis, falſam eſſe pertendit hanc ſcripturam, negat ex ſententia Melæ Latinum eſſe *extendere ſe magno ambitu*; extendere enim nunquam ab eo poni, niſi de rectis litoribus, non incurvis aut *ambitum facientibus*. Novem profert loca in quibus *extendi* nunquam de quodam ambitu ſumatur. Sed compeſcat ſtomachum bonus juvenis. Si diſcutiat veternum, ſentiet ex omnibus quæ adducit ne unum quidem eſſe qui pro ipſo faciant locis. Quomodo enim litora ſeu oræ in orbem poſſunt extendi, & tamen rectam conſtituere lineam? Ecqua poſſit peninſula fingi quæ ambitum non habeat, quemadmodum illa in cujus iſthmo Teos & Clazomenæ, quam dicit *anguſtis cervicibus reliqua extendere?* De Peloponneſo, quam folio platani ſimillimam facit, ſic ſcribit, *ingens tamen iterum, & quaſi peninſula extenditur.* Expediat bonus juvenis quomodo linea, quæ totum pene abſolvit circulum, recta eſſe poſſit. Denique ſi unica vox ſuffeciſſet, non toties addidiſſet, *recto* vel *directo limite*, *recto margine*.

In

In tres partes universum dividitur] Cum in hac lectione consipirent Vaticanus & plerique mei libri, quærit tamen bonus juvenis, quid illud *universum*? Equis dubitet, quin illud accipi debeat de universo terrarum, & toto veteribus cognito orbe, quem à mari interno, Tanai & Nilo in tres partes dividi & secari omnis fere credidit antiquitas? Iste tamen juvenis quod in vitiosis exemplaribus repererit *universa*, affirmat hanc esse verissimam Pomponii manum, *subintelligi enim Zonam quæ cognita est, & cujus situm dicendum sibi proposuit, quod & facit.* Quænam est ea Zona quæ ab austro in septentrionem procurrit? Veteres plerique crediderunt ducta linea à summo Tanai ad ultima Nili omnes zonas secari. Mirum sane eum qui vult videri aliquid in Geographicis profeciſſe, nescire quid sit Zona.

AD CAP. II.

QUod in libris quibusdam aliquando *Europe*, alias *Europa* legatur, eæ monere non fuit nostri otii. Multa similia negleximus qualia sunt *Deum* pro *deorum*, *arctat* pro *coarctat*, & alia id genus, iis ea relinquentes, qui meliora quæ agant non inveniunt.

Ad Hellespontium fretum] Cum in optimo libro invenerimus Hellespontum, quomodo etiam in suo reperit Ciaccònius, unde ipse faciebat *ad Hellesponti fretum*; nos eam quam dedimus prætulimus lectionem. Sic Catullo *Hellespontia ora.* Quod autem musteus interpres, pertendit hac ratione pauli post *Pontium* dicendum fuisse, minime id succedit, cum compositorum & simplicium non eadem semper sit ratio. Sic Hellespontiacus passim occurrit, non autem Pontiacus.

Ipsam gremio ad Tanain usque complexa] Et hic quoque miror infelix judicium nuperi editoris, qui relicta lectione clara, manifesta & optimorum librorum autoritate confirmata, aliam profert ex vitioso codice, quæ neque Latina est, neque

neque explicabilis. Quid enim ſibi vult *ipſa gremio compreſſa?* Siquis ineptias amet, legat inficetam quam addit expoſitionem. Tantum abeſt ut Aſia ad excipiendam Mæotin gremium comprimat, ut potius longe lateque expandat ſinum quo tam vaſtam admittat paludem. Exempla quæ addit nihil ad rem faciunt, recte enim dicitur dare gremium ad aliquid excipiendum, non autem comprimere.

Indi & Scythæ ultima] A libro meo membraneo abſunt utrobique Scythæ, in aliis poſteriore hoc non comparent, cum tamen neutro poſſint abeſſe loco. Novitius caſtigator rem feliciter ſe componere exiſtimat reſcribendo *illi* pro *Indi*. Sed profecto nollet ſic ſcripſiſſe Pomponius, & ſane multo frequentius in omittendis, quam in permutandis hac ratione librarii peccant vocibus, Si pronomen *illi* ad unam tantum referendum fuiſſet gentem, jam aliquanto melius conveniſſet cum eo quod ſequitur *ambo*. Quod autem dicit nimiam hic fieri repetitionem, in eo fugit illum ratio, cum non poſſit eſſe nimium, id quod ſit neceſſarium. Seras quoque ſi malit, quam Seres, per me licet, cum in proſa oratione pili non interſit, utrum Græco, an vero Latino utamur accuſativo.

Niſi quoad æſtus inhabitabilem efficiunt] Non eſt ut fidem meam parum verecundus juvenis habeat ſuſpectam. Non in Vaticano tantum, ſed & in tribus meis membranaceis etiam integris literis legitur *quod*, non *qua*, quemadmodum in aliis ſcriptum occurrit libris. Credibile eſt eo id factum, quod non intellecta, ideoque expuncta fuerit ultima ſyllaba in *quaad*, quomodo etiam veteres locutos fuiſſe pro quoad, ſive quouſque, certo ſcimus ex vetuſtioribus libris, in quibus iſta ſæpe comparet ſcriptura. Quod vero alia etiam in loca hanc intrudat particulam, in iis nihilo felicius ejus ſuccedunt conatus. Ecquid enim planius eo quod de Cyrenicis ſcribit Pomponius, eos cum ſolum habeant opimum, abſtinere, quoad fieri poſſit, ab alendis lanigeris gregibus,

quibus etiam ſterilia & deſerta ſufficiunt loca? At vero ſi pro *quoad* legas *qua* & interpreteris *ubi*, omnia frigeſcunt, & fruſtra quæres quare dixerit *ubi poteſt*, de eo quod ubique fieri poteſt. Æque intempeſtiva eſt medicina quam huic adhibet loco; *Tyros aliquando inſula nunc annexa terris deficit, qua ab impugnante quondam Alexandro jacta opera.* Ac ſi Tyrus non in ſuo loco, ſed in aggere, ubi nunquam fuit, potuiſſet deficere, ſiquid bonæ mentis haberet & ſciret libris ſcriptis uti, compendiarium iſtam ſcripturam interpretatus fuiſſet non *qua*, ſed *quo*, id eſt *ex quo* uti paſſim. Adeo tamen placent bono huic juveni abſurdæ iſtiuſmodi phraſes, ut & initio capitis de Macedonia, non dubitet verba Pomponii ſic reformare; *Tum Macedonum populi, qua urbes habitant.* Cum optima, certiſſima & Plinii & M. Capellæ auctoritate ſuffulta ſit Pintiani lectio, quam ſtultum eſt Melam ita loquentem inducere, ut dicat, ubicunque in Macedonia ſunt urbes, ibi quoque eſſe Macedonas. Tuto ſane à Mela iſtiuſmodi abeſſe poſſint elegantiæ.

Indis proxima eſt Ariane, deinde Aria] Ut in aliis paſſim, ita quoque hoc ex loco ſatis colligi poteſt, quam parum firmo judicio, quamque parum in Geographicis inſtructus bonus iſte in arenam deſcendat juvenis. Quærit unde conſtet Melam ſecutum fuiſſe illos, qui poſt Alexandrum floruere ſcriptores, unde ſuam hauriret Arianam? Verum ſi non ex illis. unde demum terrarum Orientis potuit cognoſcere ſitum, cum certum ſit ante Alexandri victorias Græcis pleriſque ignotas fuiſſe Aſiæ profundioris partes? Non potuiſſe vero Melam prætermittere Arianam id ſic conficio. Aria & Drangiana abſunt quam longiſſime ab Indis, interſunt quippe duæ magnæ provinciæ Arachoſia & Paropaniſus, quarum nullam Mela facit mentionem, præſertim ſi non admittamus ut ex Rophanes fiant Paropaniſii. Montis quidem Paropaniſi meminit, ſed non regionis. Quæro jam ſi non Arianes, quo ergo nomine vaſtum

vaſtum iſtum ſignarit tractum, Arachoſiam nempe & Paropaniſum, non minus ſpatium occupantes, quam Gallia Hiſpaniaque ſimul junctæ? Quod autem putat libros veteres in eo conſpirare ut habeant *Ariadne*, in eo fallitur, in pluribus quippe meis ſcribitur *Ariacne*, in Vaticano omnium antiquiſſimo *Ariatne*. Errat quoque cum Hermolaum Barbarum primum fuiſſe contendit, qui eam quam dedimus introduxerit lectionem. In editione enim principe quæ prodiit Mediolani anno 1472, planiſſime legitur *Ariane*. Iſte tamen juvenis neglecta tam clara & manifeſta lectione, dicit ſe non dubitare quin legendum ſit *Arbiane*. Sic dictam fuiſſe affirmat regionem ab Arbiis populo, ut loquitur, notiſſimo & ripis Indi finitimo. Sed profecto qui Arbianes meminerit inveneris neminem. Eſt quidem Arbis ſeu Arabis Gedroſorum oppidum ſitum ad Arabim fluvium, cujus incolæ & accolæ ab Arriano, Ptolemæo, Marciano Heracleota & pluribus aliis Arabitæ dicuntur, à Dionyſio Aribes, à Strabone Arbies, unde licet Arbiane poſſit formari, nuſquam tamen illa comparet. Adeone vero ineptus fuit Mela ut ſcripſerit Indis proximos eſſe Arabitas, deinde vero Gedroſos, cum in Gedroſis ſint Arabitæ, & quidem in ea Gedroſiæ parte quæ quam longiſſime ab Indis recedit? Quis præterea ferat ſcriptorem ita futiliter loquentem, ut tribus maximis univerſi orbis gentibus Scythis, Seribus & Indis, ſine mora mox ſubjungat popellum unius oppidi habitatorem, & qui vel ad ſolum armorum ſtrepitum totus ad ſolitudinem, ut Arrianus docet, confugerit? At vero ſi vulgatam ſequamur lectionem, pro qua etiam vetera ſtant exemplaria, ceſſant omnes iſtæ difficultates, cum ætate Melæ, quamvis Aria, Drangiane, Carmania & pars Gedroſiæ ſub Parthorum eſſent ditione, ideoque minus late pateret Arianes nomen, totum tamen etiamnum id comprehenderet, quod à Paropaniſo monte uſque ad Oceanum Indo adjacet flumini. Itaque Dionyſius Alexandrinus Arianorum nomine comprehendi ſcribit

Paropaniſios, Arachotas, Chatraidas, Oritas & Arabitas.

Bactri & Sugdiani] In Vaticano & pluribus libris copula ponitur ante *Bactri*, ſed vero in aliis ſequitur *Bactri & Subſiani*. Sic Vineti editio, ſic quoque in ſuis libris reperiſſe ſe affirmat Ciacconius; quamvis ipſe redundare hoc in loco iſtam exiſtimet particulam, quæ tamen recte ſe habet. Ut paſſim ab aliis, ita quoque à Mela uterque populus conjungitur, quod in Bactrianorum ditione eſſent Sogdiani, utpote qui ab illis fuerint ſubjugati, quemadmodum conſtat ex Strabone & aliis. Eadem eſt ratio quamobrem Parion & Priapos conjungantur, cum Priapeni obnoxii fuerint Parianis, ut idem docet Strabo. In eo quem poſtea adducit loco, ſecuti ſumus fidem librorum veterum, quamvis pili non interſit, utrum hanc an iſtam ſequamur lectionem. De Simlero opus non fuit monere ſi Scottus monuerit.

Mantiani, Tibarani] Parum profecto acutus eſt iſte juvenis, qui negat ex Herodoto conſtare Matianos vicinos fuiſſe Tibarenis, cum adeo clara ejus ſint verba, ubi eos ad dextram Halyos fluminis collocat. Putat nempe Tibarenos longe adeo ab hoc flumine abfuiſſe, ut non potuerint Matianis eſſe vicini. Verum errat quam maxime. Non tantum ubi erant Moſchi, Macrones & Moſſynœci fuerunt Tibareni, ſed & adeo vaſtum in Mediterraneis terrarum poſſidebant tractum, ut non ſolum ad Halyn, ſed & longe ulterius ad Cytorum uſque eorum extenderetur ditio, ſiquidem Cytorum Tibarenorum fuiſſe urbem teſtatur Xenophon. Fruſtra quærit quare Tibarani iſtoc vocentur loco, qui infra Tibareni, cum utrunque rectum ſit. Sic Matieni & Matiani, Arieni & Ariani, & infinita ſimilia promiſcue ponuntur. Sic quoque Strabo cum alibi Tibarenos vocet, lib. 2. Tibaranicas gentes nominat populos Ponticos terras Tibarenorum occupantes. Cum vero ſcribit Amardos non eſſe notioris nominis, quam ſint Tibareni; facile

facile exin colligi poteſt, illum non intellexiſſe Melam, cujus tamen admodum clara ſunt verba. Poſtquam enim in recenſendis gentibus à Mari Caſpio uſque ad Bithyniam, de qua poſtea agit, poſuit nomina vetuſta, ſed magna ex parte obſoleta, eundem tractum & eaſdem terras iterum perſtringens addit *& notiora jam nomina*, illa nempe quæ ſequuntur, quæque ſuaætate magis eſſent nota & uſitata, non autem illa, quæ in vetuſtioribus Græcorum exſtarent monumentis, qualia fere ſunt iſta quæ præceſſerunt. Cum vero in omnibus libris manifeſte appareant Tibarani, quam futile eſt fingere novam gentem Ibaranos, qui nuſquam terrarum unquam exſtiterunt, aut etiam Obarenos, non Romanis maribus, ſed Caſpio vicinos, idque nulla alia de cauſa, quam quod nullos niſi in Media norit Mantianos. Quod pro Medis repoſuerim Amardos, feci id auctoritate librorum. Cum alii, tum quoque optimus ſic habet Arundellianus codex. Mardos & Amardos eoſdem eſſe monet Strabo. Quam magna & bellicoſa fuerit hæc natio, conſtat non modo ex iis qui res Alexandri tradidere, ſed & ex multis aliis. Illorum præcipue ope ad regnum provectus eſt Arſaces. Poſtea tamen rebelles, non niſi magno labore à Phraate fuere ſubacti & in unum locum concluſi. Ex *Murrani* vel *Mirorani*, quod fecerim *Maryandini*, de eo judicent periti. Ferociter tamen in Melam inſurgit bonus juvenis ſi ſic ſcripſerit. Verum ex iis quæ habet, aliud nihil colligas, niſi quod Melam non intelligat & neſciat quid ſcribat. Cum negat Gallogræcos in ullis manu exaratis comparere libris, & tum quoque fallitur. In optimo meo codice integris literis exſtant. In altero & ipſo membranaceo adparet lacuna ante *Græci*. Iſte tamen juvenis mira facilitate Græcos mutat in Pterios, idque ex notiſſimo ut ipſe loquitur Herodoti loco, ubi ignoti iſtius Sinopenſium oppiduli fecit mentionem, ut ſignaret locum ubi inter Cyrum & Crœſum commiſſum fuit prælium, aliter enim ne meminiſſet quidem. Iſtos tamen Pterios funditus à Crœſo everſos, ſexcentis &

pluribus

pluribus annis poſtquam eſſe deſierunt, denuo ab inferis revocat, ut nempe horum umbræ ejectis Gallogræcis, vaſtas illorum impleant terras.

Ripis Nili amnis & mari proxima iidem Ægyptii poſſident] Quamvis ripæ dicantur totum illud quod inundatione ſua flumina occupant ſpatium, proprie tamen Ulpianus cenſet, ripas dici id quod flumen continet naturalem rigorem curſus ſui tenens. Si latius ſe explicent aquæ, jam flumina ripas ſuas excedere dicuntur. Clarum itaque quod hic ſcribit Mela, Ægyptios poſſidere ea, quæ ſunt proxima ripis Nili, ut oſtendat quam arcti ſint Ægypti limites, qui vix latius patent, quam latiſſima Nili pateat exundatio. Si ſcripſiſſet *ripas*, non totum dixiſſet, ſunt enim multæ Ægyptiorum urbes quæ ſunt extra ripas, quaſque vel nunquam, vel certe quam rariſſime Nilus attingat. Itaque illas non ἐπὶ ποταμῷ, ſed ἀναμέσους fuiſſe affirmat Herodotus, veluti medias inter ſiccam & riguam tellurem. Iſte tamen juvenis ut oſtendat mendoſum eſſe hunc locum, affert verba Pomponii de Sauromatis dextram Tanaidis ripam accolentibus, cum alteram teneant Scythæ Aſiatici, *Ripas ejus Sauromatæ & ripis hærentia poſſident*. His verbis ſubjicit; *Ripis hærentia & ripis proxima ſunt eadem. Id de Ægyptiis dici nequit, quorum omnino medius eſt Nilus*. Nempe quia Tanais hinc à Scythis Aſiaticis, inde à Sauromatis Europæis accollitur, ideo poteſt ripas habere & ripis proxima. Nilus autem quia utraſque ejus ripas tenent Ægyptii, ideo non poteſt habere ripas & ripis proxima. Quis hæc intelligat?

Omnes uno nomine Pontici dicuntur] A libris ſcriptis abeſt ultima vox, non male, cum utrunque rectum ſit. Sed addi debuerat in iiſdem libris ſic legi; *Uno omnes nomine Pontici*, quod concinnius.

AD

AD CAP. III.

EXtra fretum ad occidentem inæqualis admodum, præcipue media. Qua procurrit ad ſeptentrionem, niſi ubi ſemel iterumque grandi receſſu abducitur, pene ut directo limite extenta eſt] Hæc eſt vera lectio & diſtinctio. Dicit Europæ oram extra fretum valde eſſe inæqualem, præſertim in medio, propter vaſtum illum Sinum qui promuntorium Artabrum & Oſiſmios intercedit. Sequentem tractum qui ad ſeptentrionem procurrit, pene rectum eſſe credebat, quemadmodum etiam multi è veteribus ſenſere. Et hæc quoque, quia non intellexit, pervertere conatur juvenis, & tractum iſtum, qui ab Oſiſmiis demum incipit, à Garumna incipiendum eſſe ſcribit. Expuncta præterea vocula *qua*, quæ in melioribus extat libris, verbum *procurrit* ad præcedentia refert, ubi non redundat modo, ſed & improprium eſt; cum in ſequentibus non impleat tantum, ſed & perficiat ſententiam.

Gentium prima eſt Scythia, alia quam dicta eſt, à Tanai in media fere Pontici lateris, hinc in Ægei partem pertinens Thracia] Sic diſtinguit juvenis inconſultus, & me quoque ſic voluiſſe exiſtimat. Sed ſui ſimilibus & omni prorſus judicio deſtitutis hæc perſuadeat. Dicit quod τὸ *pertinens* dependet à verbo præcedente *eſt*. Miſerum hominem qui non videt quam multa hinc conſequantur abſurda! Adeone quis puer, ut neſciat, qnemadmodum paſſim, ita quoque hic *pertinens* poni, pro *quæ pertinet*.

AD CAP. IV.

SIne tectis paſſim ac ſedibus vagi] Si manum Melæ attendas, inquit juvenis, rectius abeſſet τὸ *ſedibus*. Sic nempe dicit illum loqui cap. hujus libri viii. *Paſſim ac ſine lege diſperſi*. Et ibidem; *confuſo parentum coitu paſſim incertique*.

incertique. Scire velim quid istæc loca ad rem faciant, aut quomodo ex iis effici possit, ut τὸ *sedibus* redundet? Si putat tecta & sedes idem notare, fallitur, cum sedes accipiantur pro fixa habitatione. Ita multi Indi, licet tectis careant, statas tamen habent sedes. Scythæ vero hamaxobii, licet tectis non careant, statas tamen non habent sedes. Quod monet in libro scripto se reperisse *sine tectis, sedibus ac passim vagi*, id quidem credo, sed in Vaticano & melioribus libris concinnius hæc sic concipiuntur; *sine tecto ac sedibus passim vagi.*

AD CAP. VI.

DEinde *munimentum commune regiæ gentis. Ultra Icosium*] Transpositis duabus vocibus monui sic recurandam esse hunc locum, & quibus vel aliquid sit judicii, libenter ut puto istam admittent medicinam. Mirifice hic excandescit feroculus juvenis, & lectionem *ab omnibus confirmatam MSS. ita fervide contemnere meram vocat impotentiam.* Quid sibi hoc in loco velit impotentia equidem nescio, hoc scio istum juvenem minime sui esse potentem & egere pædagogo. In libris scriptis quibusdam vox *ultra* legitur post *monimentum*, quod quamvis leve possit videri, sufficit tamen ut cognoscamus, in ordine verborum non sibi constare vetera exemplaria. Sed ut videamus quam fortiter ratiocinetur, excutiamus singula argumenta. Quærit cur hanc notabilem descriptionem non adjunxit capiti præcedenti & ipsi mentioni amnis Muluchæ? Atqui hujus rei causam dedimus manifestam. Postquam summatim perstrinxit oram Tingitanæ provinciæ à freto ad Mulucham amnem, aggreditur Numidiam, incipiens à medio ejus, nempe à Cæsarea, & contrario jam ordine ab ortu in occasum procedens recenset omnia loca intermedia, donec ad eundem à quo digressus fuerat revertatur terminum, Mulucham scilicet amnem, aliis quidem verbis sed idem significantibus illum designans. Pergit deinde,

Mulucham

Mulucham non magis esse munimentum Numidiæ quam Mauritaniæ. Ecquis dubitet, cum non Mela tantum, sed & plerique alii id ipsum confirment? Sed quorsum hæc, aut quomodo cum sequentibus cohærent, cum dicit, *non esse eruditi Latini munimentum regiæ gentis, pro munimento regnorum.* Nescit profecto quid scribat. Si dixisset, non esse Romani moris sic loqui, aliquid dixisset. Notum nullos pro regibus agnitos fuisse, nisi quos populus Romanus reges appellavisset. Itaque post mortem Jubæ desierunt Numidia & Mauritania regna vocari, ideo scribit Mela hunc amnem nunc gentium, olim regnorum quoque fuisse terminum. Si simpliciter dixisset Mulucham esse terminum regnorum, non recte locutus fuisset, siquidem cum ista scriberet Mela, nulla amplius in hoc tractu erant regna. Quod attinet locum Curtii, ubi Tigrim & Euphratem vocat munimentum regni Persici, in eo omnia bene se habent, cum & Græci & Romani Persarum & Parthorum semper agnoverint reges. At vero in Mauritania & Numidia post mortem Jubæ, cessaverunt omnia regia & regalia, non servi, non equites & exercitus regii, non domus & familiæ & ne urbes quidem ullæ fuere regiæ, omnia facta fuere Cæsariana. Clare Plinius lib. v. cap. 11. postquam recensuit Sigam urbem Siphacis regiam addit; *Namque diu regum nomina obtinuere, ut bogudiana appellaretur extima, itemque Bocchi quæ nunc Cæsarienſis.* Minime vero opus ad Scythas peregrinari, ut habeamus regiam gentem, cum ipse seipsum satis interpretetur Mela. Regia gens sunt ipsi reges, εἰ περὶ τὸς βασιλέας. Idem itaque dicit quod prius, & ut solet ad priorem, à quo digressus fuerat, revertitur terminum, quem si non iterum signasset, utique vitiosa ejus fuisset oratio. Iste tamen juvenis regiam gentem hic interpretatur familiam regum Numidarum, & commune monumentum affirmat fuisse commune istorum regum sepulchrum. Hæc vero ut adstruat, primo adfert Erythræ regis monumentum, cujus Mela mentionem facit

in ſinu Perſico. Verum ex eo nihil aliud quod ad rem faciat poteſt effici, niſi id tantum, etiam reges olim humari ſolitos, quod ſane libenter credimus. Debuiſſet oſtendere, cum regibus ſingulis ſingula olim conſtruerentur Mauſolea, qui fieri potuerit ut omnes Numidarum & Maurorum reges uno communi contenti fuerint ſepulchro, & quomodo qui in vita tantis inter ſe flagrarint odiis, paſſi ſint cineres ſuos poſt fata cum inimicorum miſceri cineribus. Cum nihil horum probet, pergit tamen in deſcriptione imaginarii ſepulchri, & rebus non exiſtentibus tribuit qualitates. Affirmat enim locum hunc ſecretum fuiſſe & immunitum, ac habuiſſe Numidicas inſcriptiones tale quid ſignificantes, ac ſint ea quæ poſuit Mela. Sine hæſitatione itaque dicit ſe ſtatuere, idem in hoc communi omnium regum Numidarum ſepulchro facere Melam, quod fecit in deſcribendo Arati poetæ monumento. Quemadmodum enim iſtoc loco refert, ſitum id fuiſſe in parvo tumulo: ita quoque hic deſcribens tot regum ſepulcrum; non addere ubinam ſitum fuerit iſtud monumentum. Siquis quærat quo pacto hæc ſimilitudo ſubſiſtat, promte & acute reſpondet, Melam quidem facere mentionem Aratei ſepulcri in parvo tumulo ſiti juxta Solos, non tamen addidiſſe, quod nam iſtius parvi tumuli fuerit nomen, quod tantundem eſt ac ſi nullam feciſſet mentionem. Demum concludit iſtud tot regum monumentum fuiſſe in litore, quia in litore etiam circa Trojam multorum heroum fuere ſepulcra, & ipſum quoque Cadmi & Harmoniæ monimentum præterpropter fuiſſe in litore, utpote non multis paraſangis ab eo remotum. Sed ſinguli iſti heroes, ſingula etiam obtinuere templa ſeu heroa: ut vero monumentum habeamus quo omnes Numidarum & Maurorum reges eorumque gentiles & agnati componantur, opus fuit molem erigere parem Pyramidibus aut etiam Labyrintho. Verum iſte juvenis ſine architectis, marmorariis, ſculptoribus aliiſque artificibus, quos fruſtra inter vagos & agreſtes etiamnum quæras

quæras Numidas, denique ſine cantu, neque enim Orphei poſſidet lyram; ſtruit Mauſoleum quod omnia orbis miracula longe poſt ſe relinquat. Et quidem quod magis mirere in loco ſecreto & cujus ſitum ipſe ſe neſcire fatetur. Dicit quidem fuiſſe in litore circa Iol ſive Cæſaream, ſed litoralem tractum non in Numidarum, ſed Carthaginenſium fuiſſe ditione, ex iis quæ jam dicentur clarum fiet.

AD CAP. VII.

Regio quæ ſequitur à promuntorio Metagonio] Et hic quoque ſatis oſtendit quam nullius prorſus ſit judicii iſte juvenis, cum Metagonitas non freto, ſed Carthagini vicinos fuiſſe ex Polybio evincere conatur. Siquis Polybii examinet verba dicit perſpicue ex illis cognoſci *Metagonia fuiſſe ſub imperio Carthaginenſium. At Mauritania vel propinqua flumini Molochath nunquam probabuntur fuiſſe ſub Carthaginienſibus hoc tempore, de quo Polybius, cum in Numidia eſſet Syphax, Mauritania diu adhuc poſt habuerit reges ſuos.* Atqui vel ex ipſo Polybio clariſſime evinci poteſt initio belli Hannibalici, de quo loquitur, totam oram maritimam quæ eſt à Carthagine ad fretum uſque ſub ditione fuiſſe Carthaginenſium. Si enim id non ſit, quomodo dux ille Pœnus ad impediendam rebellionem, ſive τῶ ἐκδυσμόδειν ut loquitur Polybius, potuiſſet Numidarum & Maurorum tam multa millia in Hiſpaniam trajicere, & viciſſim Hiſpanis à ſe victis illorum ſedes aſſignare? Iſtiuſmodi μετοικισμοὶ non fiunt niſi ubi ſumma & tyrannica eſt poteſtas. Recte itaque ſcriptor ille, qui ſub Scylacis nomine legitur, quique ſeſquiſeculo pluſminus bellum hoc præceſſit, affirmat omnia ea loca, quæ ſunt à Syrtibus uſque ad columnas Herculis, ſub Carthaginenſium eſſe ditione. Quod ſiquis exiſtimet intermedio tempore Mauros & Numidas maritima loca occupaſſe, velim is vel unum ſiſtat

teſtem qui litoralium Maurorum aut Numidarum iſto tempore iſtoc in loco meminerit. Totam iſtam oram uſque ad finem Libyæ ſub Pœnis fuiſſe clare cognoſcimus ex xvi Theocriti Idyllio. Quod dicit jam tunc nempe initio belli Hannibalici, Numidiæ regem fuiſſe Syphacem, id tantum abeſt ut verum ſit, ut ne nomen quidem Syphacis vel Numidiæ, niſi multis demum poſt annis uſquam occurrat. Cum vero addit, *Mauritaniam diu adhuc poſt habuiſſe reges ſuos*, videtur neſcire quid ſcribat. Quid enim ad rem faciunt iſti qui poſtea fuere Mauritaniæ reges? Debuiſſet indicare illo quo Hannibal in Hiſpaniam trajecit tempore, aut ante, fuiſſe Mauritaniam, vel regem Maurorum cui ora eſſet ſubjecta maritima. Profecto quamdiu Pœni univerſi litoris fuere domini, adeo illis obnoxii fuere Numidarum & Maurorum reguli, ut contra illos ne hiſcere quidem fuerit auſi, & ſiquid auderent, illico velut rebelles in crucem agerentur. Poſtquam res Romana cœpit prævalere, tum demum Sigam cum adſito portu occupavit Syphax. Nam certe ante illum non invenias Numidam aut Maurum quenquam, in cujus ditione fuerit vel portus, vel urbs aliqua mari adſita. Primus qui totam litoralem oram poſſedit fuit Maſiniſſa, cui ob ſtrenuam contra Carthaginenſes navatam operam aſſignatus à Romanis fuit maritimus tractus. Primus quoque ille fuit qui ad civilem vitam Numidas tranſtulit & urbium fecit incolas. Quod ſi ante illum aliqui fuiſſent urbani, non fuiſſent vagi, agreſtes & mapalium habitatores. Sed quid verbis opus cum ipſe Polybius eodem libro omne id quod eſt ab aris Philænorum uſque ad columnas Herculis ſub Carthaginenſibus fuiſſe manifeſte teſtetur? Καρχηδόνιοι γὰρ ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς τῆς μὲν Λιβύης ἐκυρίευον πάντων τῶν ἐπὶ τὴν ἔσω θάλατταν νευόντων μερῶν, ἀπὸ τῶν Φιλαίνου βωμῶν, οἱ κεῖνται κατὰ τὴν μεγάλην Σύρτιν, ἕως ἐφ' Ἡρακλείους στήλας. Quin & amplius jam addo, non litoralem tantum tractum, ſed & Mediterraneos Afros uſque ad interiores Nomadas ſub Carthaginenſium

ſium fuiſſe imperio. Quadrifariam enim diſpertita erat tota Carthaginenſium ditio, in Pœnos ſeu Carthaginenſes: in Libyphœnices, qui oram maritimam poſſidebant & erant Pœnis permixti, quibuſcum etiam connubiis jungebantur: In Afros præterea antiqui generis, qui licet propter durum imperium odiſſent Pœnos, inviti tamen illis parere cogebantur: & denique in Afros Nomadas à mari multum remotos, & ipſos tamen obnoxios Pœnis. Sic Diodorus.

Hadrumentum, Leptis, Clupea, Abrotonum, Taphryre] Pro Abrotonum in Vaticano legi monuimus *Habromacte*. Nuperus Melæ editor multus eſt ut oſtendat legendum eſſe *Acholla*, & putat nihil tam ſimile eſſe quam iſtas duas voces. Sed quantumvis ſurſum deorſum & quaquaverſum literas verſet & revolvat, nunquam tamen efficiet, ut ex Habromacte fiat Acholla. Quamvis ea quæ ſcripſi valde ſint veriſimilia, ſiquis tamen iis non contentus aliud quærat, per me licet ut ex *Habromacte* fiat *Macomade*, vel *Macomades*, quomodo habent Plinius, Ptolemæus & Antoninus hoc ipſo in loco. In verbis Scylacis aliqua ratione ferri poteſt ea quam profert lectio. Sed vero infeliciter vexat ea quæ ſequuntur quæque optime ſe habent, κόλπος ἐστὶν ἐν ᾧ ἡ Σύρτις ὅρῳ ἡ μικρὰ Κερκινῖτις καλουμένη. Cum enim Sinum hunc in quo eſt Syrtis terminent hinc Cercinna, inde Lotophagorum inſula, cur non æque bene Syrtis iſta dicatur Κερκινῖτις, quam Λωτοφαγῖτις;

Promuntorium Bryon] Sic Melam & Plinium ſcripſiſſe monuimus. Nec improbo quod in novam Melæ editionem id ipſum admiſerit. Sed quod Borion fictitium vocet, id non laudo, cum ex Strabone, Ptolemæo & aliis utrunque rectum eſſe conſtet.

AD CAP. VIII.

Mox & paulatim tepeſcens] *Perpaulatim* eſt in quibuſdam libris, verum non in Vaticano aut aliis melioris notæ, itaque non admiſi. Juvenis tamen iſte Latinam eſſe contendit vocem, ideoque admittendam. Credam ubi vel unum attulerit exemplum. Ad rem non faciunt pernobilis, percelebris & ſimilia. Ipſe tamen in locupletanda Latini ſermonis egeſtate adeo eſt liberalis, ut etiam infra initio lib. iii. ubi legitur, *an Luna cauſas tantis meatibus præbeat*, probet *permeatibus*, uti in libro ſcripto ſe reperiſſe teſtatur. Verum nec in Vaticano, nec in ullis omnino eorum quos viderim vox ea comparet libris, & proculdubio eſt commentum alicujus ſemibarbari, exiſtimantis vocem hanc magis eſſe ſignificativam. Quales non deſunt etiam noſtro hoc ſeculo, qui cum meatus de poris accipiendum eſt, malunt dicere *tranſmeatus*. Sed non hic agitur de poris, ſed de motibus maris & Lunæ, in quibus locum non habet permeatus. Suffecit Pomponio Virgilium & Lucretium ſequi, cum dicunt *ſolis lunæque meatus*.

AD CAP. VIII.

Cultu deorum quos patrios ſervant] Hoc in loco tanquam rem magnam è libro ſcripto *deum* pro *deorum* profert novæ editionis auctor. Dicit hoc debuiſſe ſino mora admitti. Sed nimis properat. Quamvis perinde ſit, utrum hoc an iſtoc legas modo, quia tamen Salivam movebat id quod ſcribit hoc loco Mela, eſſe in Lybia gentem quæ deos ſervaret, denuo conſului libros veteres. In optimo, cui plurimum tribuo, pro *deorum*, ſcriptum inveni *dm*. In tribus meis in membrana exaratis exſtat *dium*, in uno *divum*, in cæteris *deum*. Hæc varietas non aliunde provenit;

provenit, quam ex compendiaria ſcriptura *dm.* quæ certe non poteſt notare *deum*, niſi in ſingulari numero. Ponamus tamen poſſe, & ponamus ſervare hic accipi pro obſervare & religioſe colere; tamen quis credat Melam tanquam rem miram retuliſſe, eſſe gentem in Libya, quæ deos patrios coluerit, quod omnes faciunt gentes? Quapropter literas iſtas D. M. ut paſſim alibi, ita quoque hoc loco accipiendas eſſe cenſeo de diis Manibus, & Pomponium ſcripſiſſe, *cultu deorum manium, quos patrios ſervant.* Intelligendum hoc, niſi fallor, de Panebis Libyæ gente, de quibus Damaſcenus ſcribit, illos regum defunctorum reliquum quidem corpus terra obruere, capita vero amputata & inaurata in templis conſecrare. Differunt itaque ab Augilis, quos eodem Mela recenſet capite, qui & ipſi manes colebant, ſed tantum ſepultos.

AD CAP. IX.

JAm bene navigabilis] Sic omnia ſcripta exemplaria, ſic quoque editio Vineti, quam interpolatam & per capita digerendam Typographo tradideram. Verum neſcio qua ratione factum ſit, ut me abſente, Bruxellis ſiquidem verſabar, vir doctus qui curam editionis ſuſceperat, relicta Vineti alias ſecutus ſit editiones, & *bene* in *pene* immutarit.

In litore Alexandria Africæ contermina, Peluſium Arabiæ ipſas oras ſecant] Poſtrema tria *ipſas oras ſecant* referentur ad ſequentia in editione Vineti, quam lectionem quamvis nonnulli etiam ante illum probarint, ego tamen ideo non admittendam cenſui, quod ut alii, ita quoque Mela magnas tantum continentes aut longos litorum tractus oras appellare ſoleat, non autem brevia intervalla, qualia inter oſtia Nili intercedunt. Si ſcripſiſſet Mela *ipſam oram ſecant*, jam potuiſſet hæc diſtinctio admitti. Quod ſi de magnis continentibus Aſia nempe & Africa hæc intelligantur, jam abſurdus

abſurdus fuiſſet Mela, ſi terminos adſignaturus utrique continenti, omnia Nili nominaſſet oſtia. Terminos præterea Ægypti ad mare deſignans, Peluſium nempe & Alexandriam, non recte facturus fuiſſe videtur, ſi illos nominaſſet tantum, & non addidiſſet illos eſſe terminos. Rectius itaque ad præcedentia hæc referuntur. Ut paſſim alibi ita quoque hoc loco Herodotum ſequitur, qui Ægyptum inferiorem. Delta nempe, neque Aſiæ, neque Africæ adſcribit ſed mediam facit inter utranque. Libyam enim Canopico, Aſiam vero Peluſiaco terminat oſtio. Sed vero Herodoti, ætate nondum erat Alexandria, poſtea demum condita & Ægypto attributa. Hac itaque in parte ab Herodoto receſſit Mela, poſteriorem ſecutus diſtributionem & totum Alexandrinum tractum Ægypto tribuens. Attamen inquiunt nonnulli non urbium, ſed fluminum proprium eſſe ſecare. Verum longe aliud eſt ſecare campos & agros, quam ſit oras ſeu litora ſecare, cum altera ſectio non fiat niſi in longo tractu, iſta vero etiam in puncto ſpatii. Sic via viam, ſemita ſemitam, limes limitem & denique linea lineam ſecant in puncto, aut certe in brevi ſpatio: æque enim dicitur ſecare, qui capillum ſecat ſeu Ariſtam, quam qui arborem à vertice findit. [Nec intereſt utrum lapis, foſſa, civitas aut quælibet alia res intercedat, quidquid enim dirimit aut ſolvit continuitatem id ipſum etiam ſecat & dividit. Recte itaque Peluſium & Alexandriam oras ſecare dicit, cum in ipſo ſectionis ſeu decuſſationis puncto ſitæ ſint hæ civitates.

Mendeſium, Taniticum, Peluſiacum Nili oſtia] Cum pro Tanitico in libris vetuſtis exſtet *Captatiſcum* vel *Cataptyſtum*, propoſui conjecturam meam & dixi forſan κατα-πλευστὸν ſcripſiſſe Melam. Riſum hic non tenet bonus juvenis, *quod inter cætera Nili oſtia, omnia vere Ægyptiaci ſermonis, ſtatim ob literarum convenientiam Græci aliquid inſulciam.* An ergo Agathodæmon & Heracleoticum oſtium, an Bucolicum, Naucraticum, & Diolcos oſtia non ſunt Græca nomina? An Peluſium, Alexandrinum, & Ceramicum

Ceramicum oſtia voces ſunt Ægyptiæ? Iſte tamen οἰκματίας & ſui plenus juvenis, cum propriis conſiſtere neſciat talis, cum ubique turpiter adeo impingat, opem nihilominus ferre conatur Salmaſio, ac ſi vir ille magnus unquam admiſſurus fuerit auxiliatorem armatura tectum vitrea & tamen audacter alios inceſſentem lapidibus. Pergit tamen & confidenter affirmat pro *Cataptyſtum* legendum eſſe vel *Aphthiticum*, vel *Cabaſiticum*. Dicit literas eſſe perſimiles. Si terminationem auferas vix aliquid ſimile ſupererit, ſitus vero non permittit ut alterutrum admittatur. Si enim à Cabaſa ullum unquam appellari potuiſſet oſtium, fuiſſet hoc Sebennyticum. Illud autem octoginta minimum paſſuum millibus abeſt à Tanitico. Aphthiticus nomus & ipſe quoque quam longiſſime abeſt à Tanitico, cum ſitus fuerit ultra omnia Nili oſtia in illo inferioris Ægypti nomo, quem Arabicum vocat Ptolomæus. Vide quam bellam novitius iſte geographus inducat geographiam. At vero ſi καταπλευσὸν legas, omnia bene ſe habebunt. Ex omnibus enim Nili oſtiis tutiſſima & maxime navigabilia & olim & nunc habita ſemper fuere Naucraticum & Taniticum, vulgo dictum Damiatæ olim Thamiathicum à Thamiathi oppido. Ut itaque Naucratis & Naucraticum dictum quod navium capax eſſet iſte Nili alveus, ita quoque ſimili de cauſa Taniticum dictum καταπλευσὸν quod navigabile eſſet, cum Peluſiacum & alia vicina oſtia non eſſent navigabilia.

AD CAP. XI.

ET *Babylonia, & Judæa & Sophene*] Et hic quoque turpiter ſe proſtituit infelix geographus. Negat Sophenen eſſe in Syria, negat quoque Melam ſic ſcripſiſſe, cum tamen ex Plinio contrarium conſtet. Sed dicit Plinium erraſſe & vitioſam ſecutum fuiſſe Melæ lectionem, utpote qui & Commagenen quoque Syriæ annectat. An ergo Samoſata Commagenes metropolis non eſt in Syria? An

Lucianus non fuit Syrus? Dicit Sophenen esse in Armenia & quidem in illa hujus parte ubi Tigris dicitur emergere. Et hoc quoque pessime. Solas inspexit Ptolemæi tabulas & tamen ne illas quidem intellexit. Ptolemæus Sophenos ponit in ulteriore Euphratis ripa & quidem in loco qui minimum centum & quinquaginta passuum millibus abest à fontibus Tigris. Iste vero juvenis misere deceptus Eufraten sumsit pro Tigri & ἀκροτὴν Euphratis putavit esse fontes Tigris, & demum exclamat; *nulla miserabilior Geographia*, & sane verum dicit, si illa qua ipse facit ratione tractentur geographica. Ut vero sciamus magnam Syriæ partem fuisse Sophenam, non solæ Ptolemæi tabulæ, sed & alii & præcipue Strabo, erant consulendi. Quam late ripas Euphratis accoluerint Sopheni, vel ex eo intelligas, quod lib. xii. adfirmat Strabo eos oppositam Commagenis Euphratis tenuisse ripam, eorumque regionem in meridiem pertinuisse usque ad montem Masium & Nisibin, unde satis cognoscas, quantam Mesopotamiæ partem insederint Sopheni. Superest jam ut Mesopotamiam quoque neget Syriæ fuisse portionem. Pergit tamen novitius iste Geographus & expulsis è Syria Sophenis, gentem comminiscitur nusquam terrarum reperiendam. Scribit Stephanus Phœnicen dictam fuisse Ῥαββωδὶν vel Ῥαββώδη uti est in libris scriptis. Huic Syriacæ voci, ut placet doctis, expositionem addit κολπίτης. Cum ipsa Phœnice nihil aliud sit quam ora maritima Syriæ, ut Plinius & alii loquuntur, non male Phœnicum populus dicitur κολπίτης. Nec in Syria tantum sed & ubique terrarum, cum portuum, Sinuum & litorum maris accolæ fuerint Phœnices, recte appellentur κολπίτας. Ex isto tamen Phœnissæ gentis epitheto mirifica sane analogia fingit regionem Colpitenam vel etiam Colopitenam, & istam gentem dicit tenuisse partem Syriæ, imprimis circa Phœnicen & Judæam. Explosо denique Plinii testimonio, & jussis ad Tigridis fontes migrare Sophenis, imaginario Populo sedes quoque adscribit imaginarias,

ginarias, & quibus rerum natura nullum unquam conceſſit locum, illis locum, illis locum vindicat apud Melam. Verum optime juvenis iſte mereatur de Mela, ſi ab illo manus abſtineat.

AD CAP. XII.

Vici tenent ulteriora & adhuc opulenta Tyros] Cum ipſa luce clariora ſint iſtæc verba & minuta quæ Tyrum & Sidonem intercedunt oppida vocet vicos, infelicis tamen iſte judicii juvenis, ex vitioſo aliquo libro reponere conatur; *Vici tenent. Ulterior & adhuc opulenta Sidon.* Sed profecto lectio hæc non ineptam tantum continet locutionem, ſed & manifeſte falſa eſt. Ipſe tamen ſic exponit; Tyri peninſulam ætate Pomponii non magna aliqua urbe fuiſſe conſpicuam, ſed omnia ruinis fuiſſe interciſa & vicos tantum tenuiſſe quorum uni nomen Tyri adhæſerit, qui beneficio Cæſarum paulatim rurſus accreverit. Quot verba, totidem quoque errores, & quidem valde abſurdi. Poſt inſtauratam ab Alexandro Tyrum & poſtea ſub regibus Syriæ & demum tempore Strabonis, adeo habitata fuit hæc peninſula, ut nullus omnino locus in ea reperiretur ædificiis vacuus. Itaque Strabo illam eadem ratione inhabitari ſcribit atque Aradum, & propter anguſtiam peninſulæ, utpote cujus ambitus dempta cervice non excedebat ſtadia xxii, domus ibi altiores & plurium fuiſſe tectorum, quam Romæ. Nulla ibi ruinarum veſtigia, nulli vici, niſi quales in media quoque erant Roma. Cum vero poſt ætatem Melæ beneficio Cæſarum incrementa accepiſſe dicit, apparet illum credere Melam eſſe vetuſtiorem Strabone, cum tamen hic ſub initium Tiberii, alter demum ſub Claudio ſcripſerit.

Lycos & Paltos & Orontes] Quicquid vel in ſomnis vel interdiu cogitat iſte juvenis, omnia ea ſtatim chartæ committit, nunquam vero aliquid cogitat boni. Ut

oſtendat Paltum & Baldum non eſſe eandem, eo utitur argumento, quod Palton Syriæ, Baldum vero Phœnices urbem faciat Stephanus. Verum exinde manifeſte patet utramque in Phœnice & eandem fuiſſe urbem. Cum enim in ſitu Palti omnes conveniant, clarum eſt per Syriam hic intelligi Phœnicen. Si Baldum Syriæ eſſe dixiſſet, jam aliquid potuiſſet videri habere coloris, cum dicit eandem eſſe ac ſint Baalath oppida, quæ & in tribu Dan & Symeonis fuiſſe memorantur. Nunc cum in Phœnice fuerit Baldus, non poteſt vel de hoc, vel de iſtoc Meditterraneo Judæorum accipi oppido. Pergit dein ad locum Strabonis & rivum Baldon ſeu Baudon Paltenis vicinum. Dicit illum à Prinio lib. x. cap. 26. vocari Badam. Verum nuſquam hoc loco iſte comparet. Addit illum à Joſepho vocari Beleum. Et hoc quoque male, cum ſexaginta plus minus paſſ. millibus Belus à Paltenis abfuerit, utpote duobus tantum ſtadiis teſte Joſepho à Ptolemaide remotus. Sed tamen ut Strabo Paltenis, ita Joſephus Ptolemaitis adſcribit Memnonis ſepulchrum. Hinc facile colligas quam multæ gentes & urbes herois ſeu dei iſtius ſibi vindicarint ſepulcrum, nec Æthiopas, Ægyptios, Perſas & Ilienſes tantum, ſed & Phœnices de eo inter ſe concertaſſe; cum tamen Philoſtratus in icone Memnonis nuſquam ejus exſtare ſepulcrum, ſed in lapidem nigrum converſum fuiſſe adfirmet. Nempe quem Memnonem Græci dixerunt, is erat Baalthis, Belthis ſeu Baalthus deus ſeu dea non Phœnicum tantum, ſed & omnium Syrorum, eadem, & ἀνδρόγυνος & ἀφρόδιτος à Græcis dicta. Sub lapidis forma cultum fuiſſe hoc numen teſtantur complures & præcipue nummi veteres qui paſſim reperiuntur, in quibus ſaxum ingens apparet in medio perforatum & quaſi antrum continens. Hujus itaque Memnonis ſive Baalthis ſepulcrum ſibi vindicabant Palteni propter cognomine flumen Baldi. Ptolemaitæ vero ut ex Joſepho conſtat ſibi adſcribebant propter minutum Beli flumen, quod & ipſum ſic appellatum fuiſſe colligo ex Plinio cum

lib. v.

lib.v.cap.19.ſcribit *rivus Placida ſive Belus, vitri fertiles harenas parvo litori miſcens.* Sic in omnibus quos conſului ſcriptum inveni libris excepto uno in quo inveni *Plaada*, pro *Paalda* nempe. Literas vero P & B & item T & D promiſcuas eſſe apud Hebræos & Syros opus non eſt monere. Apud Strabonem ſiquis retineat Baudos pro Baldos per me licet, cum in omnibus fere linguis & iſtæ literæ ſint promiſcuæ. In Mela vero licet in multis *Hypatos* legatur libris, tres tamen melioris notæ poſſim oſtendere in quibus *Ipatos* ſcriptum ſit, ut non dubitandum ſit quin Paltos utrobique ſit ſcribendum. Pro *Bactros* vero in iiſdem invenio *Butros*, manifeſte pro *Botrus*. Quod ipſe Berytum reponat, id omnino facit ſine judicio, cum illa mox ſequatur, & abſurdum bis eandem recenſere urbem.

AD CAP. XIII.

Mallon præterfluit] Libri manu exarati exhibent *Malloſen* aut *Malloſon*. Nempe ineptus librarius Mallon in Mallos permutarat. Ex hac duplici lectione viti oſam iſtam prodiiſſe ſcripturam facile quilibet videat.

Poſt piratis Pompeio adſignante poſſeſſæ] Licet hæc lectio in multis recentioribus occurrat libris, quia tamen in melioribus *pro* non *poſt* ſcriptum inveni, monui rectiorem nos habituros lectionem ſi *porro* reponamus. Indocti librarii quod exiſtimarent *poſt* melius conjungi cum *prius* quam cum altero, hanc niſi fallor induxerunt ſcripturam. Sed longe plus dicit Mela, quam ſi *poſt* ſcripſiſſet, quod etiam de brevi tempore poteſt accipi. *Porro* ut paſſim alibi, ita quoque hic notat τὸ λοιπὸν, accipiturque de toto quod ſupereſt tempore. Conſtat enim ex antiquis piratas iſtos Cilices, non tantum ad ætatem Melæ, ſed & ſemper poſtea tenuiſſe Solos aliaque à Pompeio adſignata loca, & placuiſſe illorum fidem populo Romano. Fruſtra itaque altera præfertur lectio.

AD

AD CAP. XVI.

Portus duo, Gelos, & cui ex urbe quam amplectitur Tisanusa cognomen est] Helos vel Helûs ex Plinio & Strabone legendum esse monuimus. Situs convenit quam exactissime. Nominis causam siquis quærat illam exhibebunt Portolani recentiorum Græcorum, in quibus hoc ipso in loco stagnantes istæ discribuntur insulæ, minutæ quidem & inhabitatæ hoc tempore, portum tamen efficientes satis commodum. Novo tamen geographo ista non placent, itaque legendum censet *Portus Syagelos*. Syagela nempe Stephano Cariæ oppidum, quod ipse mutat in Syagelos. Atqui si Syagela una è præcipuis Cariæ fuerit urbibus, ut ex Strabone satis cognoscimus, & insuper portu instructa, qui fit ut à nullo eorum qui oram maritimam singulaque etiam minutissima diligenter persequuntur; non etiam recenseatur urbs ista, non portu tantum, sed & regio nobilis sepulcro? Hinc manifeste intelligas Suagela mediterraneam fuisse urbem & juvenem istum nugari, cum regium in litore struit sepulcrum.

AD CAP. XIX.

Alter Olbianos in promuntorio fert Neptuni fanum; in gremio Astacum] Sic editio Vineti, quam exprimendam typographo tradideram, mutatis iis, quorum in observationibus feciſsem mentionem. Quod autem hoc loco monet novus Melæ interpres, Cianum sinum æque nobilem fuisse ac Olbianum, id minime verum præsertim ætate Melæ. Eversa enim Cio, cessavit quoque nomen sinus Ciani, qui omnino factus est ignobilis. Sed Mela, ut sæpe alias, de Cio loquitur velut etiamnum superstite. In verbis quæ paulo post sequuntur, cum novam inducit distinctionem, & tum quoque frustra est. Si *disterminans* scripsisset Mela, jam illa potuisset videri necessaria.

Tum

Tum Cinolis, Anticinolis] Ita Pintianus reſtituit, quem libenter ſecuti ſumus, cum antea legeretur; *Tum Cinolis & Colliris.* Nec diſcrepant libri, niſi quod in uno alteroque pro & ſcriptum invenerim *etiam,* quod quamvis leve poſſit videri, facit tamen ad ſtabiliendam Pintiani ſcripturam, quam & Artemidorus & Strabo confirmant. Non admittit tamen hanc lectionem juvenis geographus, & ex Scylace mavult reponere Coluſſam, & putet hoc propius accedere ad ſcriptorum librorum lectionem, quam alterum. Verum hoc ſibi, non aliis perſuaſerit. Ut ſciamus vocem iſtam in Scylace recte ſe habere, vel unum proferat teſtem. Præterea non eſt cordati ſcriptoris relictis & omiſſis notioribus, ignotiora & jamdudum obſoleta recenſere loca. Cauſam tamen affert quamobrem explodenda ſit Cinolis & Anticinolis, dicit enim *varia talia occurrere loca à Græcis ſic appellata quod ſibi invicem adverſa ſint: ſed ea nuſquam à Mela agnoſci.* Nempe quia Mela Rhii facit mentionem, non autem Antirrhii; inde præclarum hoc conficit argumentum, potuiſſe quidem Melam Cinolidis meminiſſe, non autem Anticinolidis. Cum vero putat loca hæc ſic dicta quod ſibi invicem eſſent oppoſita, & tum quoque fallitur. Locum hoc habere poteſt in Rhio & Antirrhio, Rhodo & Antirrhodo, non autem in Cinoli & Anticinoli, Phello & Antiphello aliiſque in eadem continente vicinis ſibi invicem oppidis, ubi ἀντὶ æqualitatem & ſimilitudinem notat. Sic ἀντίπυργος ἰσόπυργος, ἀντίχορδον ἰσόχορδον ἀνλίρροπον ἰσόρροπον, & infinita alia. Sic quoque Antitaurus, Antilibanus, Anticaſius, quod Tauro, Libano & Caſio montibus pares & æquales eſſe crederentur. Hæc cum ita ſe habeant, negat tamen iſte juvenis ullam unquam fuiſſe Anticinolin, & mentitum fuiſſe Strabonem & Artemidorum, & oppidum iſtud æque eſſe fabuloſum ac ſint Antiſcythæ Soliniani. Sed profecto nimium liberalis eſt in interponendo judicio, cui tamen cum non admodum abundet, parcere debebat. Quæreba tur olim ſi ſit aliqua Antichthon, quinam eam inhabitarent,

&

& ſi in noſtro orbe ultimi ad ſeptentrionem eſſent Hyperborei, num in Antichthone ſimiliter reperirentur Hypernotii. Non admittit illos Herodotus, quia neque Hyperboreos admittebat, quos prudentiores plerique merito explodunt, cum vita humana in ſemeſtri luce ſubſiſtere nequeat. Magis itaque placuit, ſi ab adverſa gente in eodem vivente hemiſphærio eſſent denominandi iſti Scytharum antœci, ut potius auſtrales Scythæ vel Antiſcythæ vocarentur. Nec ſolus eſt Solinus qui ea utitur voce, verum & in ſcholiis ad Aratea Germanici in præfatione ita ſcriptum inveni in optimis & vetuſtiſſimis membranis. *Diviſi autem ſunt à nobis circulo æquinoctiali qui antichthones nominantur & videntur humiles atque depreſſi, quibus antipodes infra ſunt: quod ut poſſe videatur, efficiunt flexus obliquitateſque terrarum, quas* ἀντίχθονες, ἀντίσκιοι & ἀντισκύθαι *inhabitare dicuntur.* eadem fere habet Cenſorinus, qui omnia hæc deſcripſit, niſi quod apud illum minus bene Antiſchepæ pro Antiſcythæ vulgo legatur.

Hic Phaſis deſcendit] Prius non bene *hinc* legebatur, quod mutavit Pintianus. Utrum vero *hic*, *heic* an *huc* ſcribas, uti habet editio Vineti, cum perinde ſit, de eo utique non litigaſſet Pintianus & ne quidem Mela.

Proximi Examatæ] Probat lectionem Holſtenii & cauſam affert, quæ ſi bona eſt, & tum quoque ſcribendum erit *Examatæ*. In melioribus enim libris magno conſenſu legitur *proxime Xamatæ*. Plinio & Valerio Flacco non uno loco vocantur Exomatæ.

AD LIB. II. CAP. I.

Siniſtro lateri innavigantium appoſita ac Riphæis montibus] Et hic quoque rem acu ſe tetigiſſe exiſtimat novus Melæ interpres, ſed ut ubique, ita quoque hic miſere fallitur. Sic nempe conſtituendus hic locus faventibus Vaticano & omnibus

omnibus fere antiquis exemplaribus; *Agrippæis montibus proxima, & huc enim pertinent, cadentes assidue nives adeo invia efficiunt*, &c. Agrippæi sunt qui paulo ante Arimphæi vitiose vocantur. Verum illorum nomen ex Herodoto petendum esse monuit Pintianus. Ille vero, si bene se habet lectio vulgata, Argippæos appellat. Pro eo, Ἀργιππαίους substituit Salmasius. Sed rectius Ἀγριππαίους legas. siquid mutandum sit, quod tamen opus non est, cum in istiusmodi nominibus familiaris admodum Latinis literarum sit transpositio. Quod autem paulo aute in fine libri prioris occurrit; *Ultra surgit mons Rhiphæus*, & hoc quoque mutandum, cum in compluribus & quidem melioris notæ libris legatur *mons gripes*, in aliis *nigripes*, in optimo vero *mons ægripes*, ut non dubitandum sit, quin Mela scripserit *mons Argippæus*. Sic nempe Mela vocat altum istum montem, cujus accolas esse Argippæos vel Agrippæos scribit Herodotus. Cum vero idem Mela Tanain in Rhiphæis vel potius Rhipæis montibus oriri dicit, in eo recessit ab Herodoto, qui nusquam Rhipæorum facit mentionem & Tanain è lacu profluere affirmat, quod verum est. Agrippæos vero ab antiquis Latinis dictos fuisse istos populos vel Agripparum satis testatur agnomen. Ut enim vicinam Arimasporum gentem, quod unum tantum habere oculum crederentur detorta voce à Cyclopibus Coclites appellat Ennius; ita quoque illos, qui difficili partu ederentur, contracta ab Agrippæis voce. Agrippas vocaverunt. Ut enim scribit Herodotus calvi nascebantur omnes Argippæi, quales quoque multos fuisse Myconidos testatur Plinius. Talium autem propter duritiem capites difficiles admodum sunt partus.

Nymphæo specu, quod in arce ei sacratum est, maxime illustre] Sic reposui, cum & Arundelliano & in aliis melioris notæ libris invenerim *eis sacratum est*. Ex glossemate alterum accessisse facile colligas ex scripto quem possim ostendere libro, in quo verbis istis suprascriptum, *scilicet*

Nymphis. In quibuſdam correctum *ejus Nymphis,* quod æque ineptum ac ſit illud quod adſtruere conatur infelicis judicii juvenis, *ei & Nymphis.* Si conjeciſſet *ei à Nymphis,* aliquid dixiſſet. Profecto dea iſta zelotypa, ipſa nimirum Nemeſis, non ut puto admiſiſſet delubrum aliquod ſibi & ſuo ſimul conſecratum famulitio. In tot millibus inſcriptionum factis in honorem Dianæ nihil tale invenias. Mirificum tamen quod addit in fontibus & antris moris fuiſſe ut tres ſtatuerentur Nymphæ, & *plerunque illis vel deum addi ex agreſtium numero, vel aliquam ex deabus, & maxime in iis Dianam.* Undenam rogo tam bellam Nymphæi hauſit deſcriptionem, ubi Diana trium Numpharum appendix, & Fauni vel Satyri lavantis ſeſe Dianæ fiant ſpectatores?

Hypacaris per Nomadas] Et hic quoque bonus juvenis mavult nugari quam tacere. Dicit Plinium ſcribere non tantum per Nomadas, ſed etiam per Hylæos fluere Hypacarin. Nuſquam hoc de Hypacari dicit Plinius, ſed de Hypani, quem ſcribit per Nomadas & Hylæos fluere. Pergit non conſtare utrum Mela ſcripſerit *per Nomadas,* an vero *juxta* vel *ſecundum,* quod ex Herodoto colligi poſſe affirmat; ſed & tum quoque nugatur. Herodotus Hypacarin διὰ μέσων τῶν νομάδων fluere teſtatur. Διὰ vero non poteſt ſignificare *juxta* vel *ſecundum.*

Axiaces proximus intra Callipidas Axiacaſque deſcendit] Recta eſt hæc lectio quam & Vaticanum & meliora confirmant exemplaria. Utrunque enim hunc populum medium ſecat iſte fluvius. De Axiacis quidem, qui propiores ſunt mari, res clara eſt, cum abſurdum ſit exiſtimare gentem fluvio cognominem alteram tantum tenuiſſe ripam. Callipidas vero gentem mediterraneam, & illos quoque utramque ripam inſediſſe conſtat ex omnibus & ex ipſo quem paſſim ſequitur Herodoto, qui eos ſupra Olbiam longe à mari remotos deſcribit. Cum vero Callipidæ tenuerint totum illum tractum qui eſt à Tyra fluvio ad Hypanini manifeſtum

manifeſtum eſt Axiacen fluvium medias Callipidum terras ſecuiſſe & Melam ambiguitatis vitandæ gratiæ maluiſſe ſcribere *intra* quam *inter*.

Is inter Auchetas honos præcipuus eſt] In Vaticanis duobus quos olim contuli legitur *interlocantis*, vel *interloquentes* quomodo & in aliis nonnullis. In recentioribus quibuſdam *inter jocantes*, quam lectionem proponit quidem Salmaſius, Sed mox rejicit, & merito; cum non conſentiat cum iis quæ ſcribit Herodotus, & in lite tam ſeria intempeſtivi ſint joci. Iſtam tamen jocoſam & ridiculam lectionem tanquam gemmulam aliquam exoſculatur infelicis judicii juvenis. Dicit Melam *nullam aliorum populorum mentionem feciſſe aut facere voluiſſe in deſcribendis moribus, quam quorum meminit in ipſa Geographia & notitia regionis*. Hæc licet valde ſint intricata, puto tamen hoc dicere voluiſſe, Melam non deſcribere mores populorum, niſi quorum bis meminerit. Hoc autem quam verum ſit, cum paſſim alibi, tum ex hoc ipſo ſatis colligi poſſit capite. Pergit; *Nullibi Auchetarum meminit Mela, nullibi eis ſedem aliquam tribuit*. Imo ſedem iis tribuit inter Scythas interius habitantes, qui præceſſere: quia vero alibi non meminit ideo hic fuerunt reducendi, & quidem loco commodo & convenienti ipſorum nomini, cum αὐχηταὶ à Græcis jactabundi vocentur, quales ſunt iſti Scythæ, quos hic deſcribit Mela.

AD CAP. II.

Mirum atque ingens facinus] Brevis, perſpicuâ & concinna eſt hæc parentheſis & quæ totidem verbis apud optimos etiam occurrit ſcriptores. Iſte tamen juvenis mirifico ſane loquendi genere eam vocat *Ludibrioſæ copiæ parentheſin*. Quia vero in vitioſo aliquo libro abeſt vox prima, ideo reſcribit; *atque (ingens facinus!) ex Aſia*, &c. Nihil nempe amat, niſi quod durum, diſtortum

& cacozelum ſit. Nihilo felicior eſt in ſequentibus, quæ ſic inpoſterum legi jubet; *pedes & non navigatu maria tranſgreſſus eſt.* Cum riſum excitare volunt mimi, eadem plane ratione loquentes introducunt fatuos. Altera vero quam dedimus lectio, quæ omnium librorum auctoritate fulcitur, caret inepta iſta macrologia, & ne ipſi quidem diſplicuiſſet Quintiliano.

Eximia eſt Ænos] Eximiam vocat quod ab Ænea condita crederetur, quomodo & Virgilius, quamvis ex Homero contrarium conſtet. Oppidum quidem non admodum magnum, ætate tamen Melæ inter everſas bello Macedonico pleraſque fere in hoc litore civitates etiamnum illuſtre, utpote libertate donatum à Romanis, nec Polydori tantum tumulo, ſed & Cæpionis ſepulchro, quod in medio hujus foro exſtruxerat Uticenſis Cato, & multis quoque aliis Romanorum ornatum operibus, quorum etiamnum ſuperſunt veſtigia. Si cui hæc non ſatisfaciant, monui legendum forſan eſſe *Exin,* vel *Exinde eſt Ænos.* Iſte tamen juvenis conſulto Pomponii genio, quem ſcilicet in pyxide reconditum ſervat, alte exclamat; *Conjecturam hanc à genio Pomponii alienam eſſe, non utentis illo adverbio niſi in deſcribendis urbibus ordine in recto litore poſitis, non etiam ſinu diſtinctis,* &c. Si quis colligat quidquid uſquam occurrit ineptiarum, vix tamen ullam huic ſimilem inveniet. Non Mela tantum, ſed & quotquot ſunt vel olim fuere ſcriptores, cum oræ Maritimæ loca recenſent, fideliter ſemper perſequuntur litus, nullo habito diſcrimine, utrum illud magnis, minutis, aut etiam nullis inflectatur ſinubus: ſive enim recta ſive curva ſint litora, unum tantum admittunt ordinem, unamque quamdiu continua ſunt, deſcribunt lineam. Undenam rogo nugator iſte hauſit *exin* rectum ſignificare litus? Porro ſiquis Pintiani probet lectionem legentis, *Extra eſt Ænos,* per me licet ut unuſquiſque pro captu ſuo ſtatuat. Ego vulgatam omnium librorum auctoritate confirmatam retinendam cenſui.

Et

Et quo canentem Orphea secuta narrantur nemora, Zonæ] Vinetus edidit *etiam nemora*, & sic habent libri nonnulli, sed recentiores, in quorum nonnullis etiam sic scribitur hic locus; *Ex quo Canentem Orphea secuta narrantur nemora & Zone.* In uno & altero & ponitur ante *narrantur*, quomodo & in editione principe. Inde facile conjicias additum esse conjunctivum & vel *etiam* ab illis, qui *ex quo* in suis reperissent exemplaribus. Sed vero istam particulam non agnoscunt vetustiora exemplaria & sane tuto potest abest. Quod autem juvenis iste auctoritate genii Pomponiani, valde nempe sibi familiaris affirmat voculam *etiam* habere vim & potestatem aliquam peculiarem, id ex iis quæ producit non liquet locis, è quibus nihil aliud colligas, nisi istud, particulam hanc, eo quo passim & ubique occurrit acceptam sensu, esse Latinam.

Tum Nestos fluvius, & ripis ejus adjacens Maronia] Ferocutus juvenis meam hic miratur licentiam, utpote qui alia aliaque fluminibus sine auctoritate, ut scribit, tribuam nomina. Verum ut cognoscat quam inaniter ferociat, quamque sibi ipsi plagas infligat, sufficit vel solus ad quem provocat Scylacis locus. Dicit flumen, cujus hic mentionem facit Mela, ab illo vocari Cudetum. Recte sane, & hoc ipsum est quod volumus. Sed vero fluminis hujus nemo alius meminit, itaque audacter affirmo pro Κούδητος legendum esse Κούσητος. Cosetus enim vel Cosatus idem est qui Nessos vel Nestos. Hoc sic conficio. Pythagoram cum transiret Nesson vel Neston flumen ab eo salutatum *Pythagora salve* testantur Diogenes Laertius, Jamblichus, alii. Istud vero flumen idem esse, ac sit illud de quo loquimur, docet satis Aristoteles apud Apollonium Dyscolum cum vicinum Samothraciæ fuisse scribit. Jam vero Neston vel Nesson, promiscue enim scribitur, dictum quoque Cosatum, testis mihi Ælianus Var. lib. iv. cap. xvii. eandem narrans historiam; Ἀλλὰ καὶ ὑπὸ τοῦ Κοσάτου ποταμοῦ διαβαίνων προσερρήθε, τοῦ ποταμοῦ εἰπόντος αὐτῷ, χαῖρε πυθαγόρα.

πυθαγόρεα. Sic quoque legendum lib. ii. cap. xxvi. apud eundem, annuente fere libro noſtro ſcripto in quo legitur ὑπὸ τὴ Κόσαον ποταμόν. Porphyrius in vita Pythagoræ hæc ipſa referens habet Καύκασον, ſed vitioſe, niſi fallor, pro Κόσατον. Herodoto eſt Κόμψατος, nempe inſerto ut ſæpe M, ſi ſequatur Σ, tum ſibilans iſta litera mutatur in Ψ, non apud Græcos tantum & Romanos, ſed & omnes fere gentes. Alter Ælianus, qui de animalibus ſcripſit, integro fere ſeculo junior illo priore, Coſſiniten vocat hoc flumen, cognomine nempe adſito oppido Coſinto. Unde apparet verum eſſe id quod olim puer quatuordecim aut quindecim annorum ſcripſi, & errare juvenem grandævum, cum id ipſum negat. Argumentum quod affert Scylacem in ora maritima deſcribenda non potuiſſe mentionem facere fluminis, non in mare, ut loquitur, ſed in paludem ſe exonerante Biſtonidem; clare ſatis oſtendit, ipſum neſcire quid rei ſit palus Biſtonis. Vulgaribus nempe Ptolemæi, quas concinnavit Mercator, deceptus tabulis; putavit Biſtonidem paludem eſſe ſtagnum Mediterraneum undique clauſum & quod nullum in mare habeat exitum. Atqui ex ipſo Ptolemæo manifeſte colligi poteſt eſſe ſtagnum maris, ubi enim de Neſſo & Hebro agit hæc habet; ὧν μεταξύ πως πρὸς τῇ θαλάσσῃ λίμνη ἔστιν, ἥτις καλεῖται Βιστονὶς λίμνη. Rectius itaque in ſuis Ptolemaicis tabulis ſtagni hujus formam expreſſit Regio montanus. Simile eſt hoc ſtagnum Venetorum & præcipue Volcarum ſtagnis, nam & Salſum eſt & ab iiſdem fere marinis frequentatur piſcibus, & poſtremo huic non forma tantum, ſed & magnitudine pene æquale eſt; ſiquidem ab Hebro flumine uſque ad Abderam fere protenditur. Itaque Ariſtoteles viii. de animalibus λιμνοθάλατταν ſive ſtagnum marinum appellat. In portolanis Græcorum vocatur Ἀσπρόζας ἢ Μαρωνείας κόρφος, id eſt Abderæ ſeu Maroneæ ſinus.

Et portus Κάπρυ λιμήν] Cum ſic in melioribus legatur libris, dixi redundare vocem *portus*. At vero inops iſte & tamen

tamen prodigus judicii juvenis poſtremam ejicit vocem, ac ſi à librariis, qui Græca ne legere quidem norant, ea tam opportune addi potuerint. Aliquid dixiſſet, ſi utrunque retinendum eſſe affirmaſſet, ut nempe ſubintelligatur *dictus* vel *qui dicitur*. Sed profecto quæ deteriora ſunt, ea plerunque ſequitur.

Strymon ſicut diximus amnis eſt] Tollendam inquit juvenis Parentheſin, neque enim dixerat amnem eſſe. Imo clare dixit hoc ipſo capite haud procul initio. Cæterum hoc obiter moneo parenthes non eſſe à me, qui eas libenter in Mela expunctas velim more antiquo, aut certe commatis permutatas.

Perfoſſus transjugatuſque factus freto navigabili pervius] Dedimus lectionem quam in melioribus invenimus libris. Transjugare pro jugum montis ſuperare alibi non occurrit: ſed ſolemne eſt quibuſvis ſcriptoribus res novas & inuſitatas, novis etiam & non uſitatis explicare vocibus. Et hic quoque juvenis noſter oſtendit quam acri ſit judicio, quum negat non potuiſſe iſthmum hujus montis transjugari, utpote qui teſte Herodoto contineret πεδίον & κολωνὸς ὑ μεγάλους. An ergo colles quantumvis minuti poſſunt eſſe ſine jugis & verticibus? *Tranſnavigatuſque*, quod vulgo obtinet, ideo minus placet, quia ſequitur *navigabili*. Ipſe tamen laudat, ſet mox quaſi reſipiſcens poſt longam meditationem hanc demum commentus eſt lectionem; *Perfoſſus ad Sanen abuſque Thyſſo factus freto navigabili pervius*. Quis iſtius non miretur acumen juvenis, tam feliciter conjectantis, ut lectionem invenerit, quæ librorum veterum ſcripturam præterpropter tam bene referat, quam ſimiam referat Aſinus! Iſte tamen juvenis qui nihil pudoris & minus etiamnum habet judicii, dicit me laqueum mihi nectere quod ſcripſerim Herodotum foſſam Xerxis ab Acantho urbe cœpiſſe, quam ne tetigiſſe quidem affirmat. Atqui an non ſatis clare ſcriptor ille loquitur cum libro vi. & iterum lib. vii. refert Artachæum à Xerxe præmiſſum fuiſſe Acanthum,

Acanthum, ut inde fossa ad Sanen perduceretur? Cum vero eodem libro dicit ab Acanthiorum mari cœptam fuisse fossionem, idem dicit, siquidem in intimo Acanthii maris recessu, in ipso isthmo, sita erat Acanthus; ita ut Acanthus & Sane non nisi septem stadiorum intervallo à se invicem abessent, unde ab Anonymo in periegesi ad Nicomedem διώρυξ illa dicitur ἱπποσάλης, quam tamen Herodotus, Plinius & alii habita totius isthmi ratione duodecim stadiorum, seu mille quingentorum faciunt passuum. Iste iste tamen bonus juvenis, qui recoctam satagit tradere Geographiam, rejecta Acantho omnium veterum autoritate suffulta, Thyssum substituit, oppidum eidem litori & eidem quo Sane Singitico appositum Sinui, & pluribus quam ducentis stadiis à fossa remotum, ut nempe conficiat, non Athonem, sed ipsum à Xerxe perfossum fuisse pelagus.

AD CAP. III.

Irtona, Melibœa, Castanæa] Sic scribendum monui, sed semidoctus librarius Gortynam exhibuit veluti notiorem.

Ac proxime spatiosa, Hellas nomine] In libris & *Hellas nomine*, quod & ipsum rectum. Quum autem novitius editor, quia in vitiosis quibusdam libris legitur *ac proximos*, confidenter rescribit *à proximo spatiosa*, omnino id facit sine ratione & judicio. Sive enim referas ad Thessaliam & Macedoniam quæ præcessere, sive ad Hellada quæ sequitur, non subsistit hæc lectio. Quis enim ferat scriptorem ita loquentem, à proximo loco incipere Hellada? Quod si *à proximo* accipias pro ab initio, jam ne quidem Latine loquatur Mela, debuisset enim dicere *in proximo*. Quamvis neque istud huic conveniat loco, cum non statim, sed paulatim in majorem majoremque sese Hellas explicet latitudinem. Retinenda itaque lectio vulgata, quam melioris notæ exemplaria & prima editio nullos passa correctores confirmant, nec distrahenda hæc à superioribus, *proxime* enim

enim conſtruendum cum Ægeis & Ioniis fluctibus. A Macedonia enim incipiens Hellas primo eſt anguſta, in Magneſia nempe Theſſaliaque, hujus ſiquidem partes à mari remotiores non accenſentur Helladi. Deinde fit latior. Ubi vero Ægeis & Ioniis fluctibus grandi fronte objacet, à Sunio nempe ad Ambraciam, ibi demum eſt latiſſima.

Ipſo quidem tamem ſimulacro] Monui abeſſe à quibuſdam libris *tamen*. Juvenis autem Leidenſis loca profert unde oſtendat *tamen* eſſe Latinum. Libenter ſane id credimus, ſed quæritur utrum *quidem tamen* conjunctum ſit Latinum. E libro quem contulit hanc profert lectionem; *ipſoque tamen ſimulacro*. Unde confici poteſt librarios offenſos hac loquendi formula alterutram vocem expungendam eſſe cenſuiſſe. Si ſciret libris uti facile ex hac varietate potuiſſet colligere vocem *quidem* non in ſuo verſari loco & transferendam eſſe ante *ipſo*, ſic nempe; *Numen delubrumque Olympii Jovis certamine gymnico & ſingulari ſanctitate quidem: ipſo tamen ſimulacro, quod Phidiæ opus eſt, maxime nobile.*

Quod ſpectat ad orientem] Cum utrunque rectum ſit ſpectare orientem & ſpectare ad orientem, & non hoc tantum loco, ſed & paſſim alibi promiſcue in libris utraque occurrat ſcriptura, contenti fuimus eam ubique ſequi lectionem, quam in antiquioribus & magis emendatis invenimus exemplaribus. Sed iſte nimis feſtinus juvenis auſerendam hoc loco affirmat præpoſitionem, quod eam duo MSS non agnoſcant. Verum ego longe plures & meliores poſſim oſtendere à quibus non abſit. In eo quod ſequitur *ad ſeptentriones* ubi aliter in obſervationibus ac in ipſo Mela additur præpoſitio, id ut paſſim alibi, ita quoque hoc factum eſt loco ad ſignandam variantem lectionem, liberum relinquentes lectori quam vellet eligere. Quod negligenter id à me factum exiſtimet, id ſane libenter audio. Ingrato & inepto labori quantumvis ſupinam præfero negligentiam. Fruſtra vero eſt cum fidem noſtram infirmare

conatur & in hoc & in eo qui proxime ſequitur loco; *Tigris ut natus eſt, ita deſcendens in litora permeat*, ac ſi librorum auctoritate deſtitueretur hæc lectio, cum & Arundellianum ſic habeat exemplar & Ciacconius in ſuis ſic ſcriptum invenerit codicibus. Quin & optimus ille liber quem præcipue ſecuti ſumus eandem exhibet lectionem, cui demum à manu recentiore ſuperſcriptum erat *uſque ad litora*. Cum bibliotheca & libri mei omnibus pateant ſatis iſti teſtabuntur, non me malæ fidei hominem, ſed iſtum juvenem gnaviter eſſe impudentem.

Rhion deinde maris id nomen eſt anguſte ut velut freto latus oræ ſequentis incidens inter Ætolos & Peloponneſiacos uſque ad Iſthmum irrumpit] Certum eſt ſic ſcripſiſſe Melam, utpote qui nullas parentheſes, commata, cola ſeu alias Grammaticorum notas ſcripto ſuo inſeruerit. Obſecuti tamen aliqua ex parte illorum, qui proximis vixere ſeculis, Grammaticorum placitis, ſola iſtæc verba, *maris id nomen eſt*, commatis incluſimus. Si penitus horum inſiſtere voluiſſemus monitis & præceptis, non hæc ſolum, ſed & ſequentia *& velut freto*, & denique iſta *inter Ætolos & Peloponneſiacos*, parentheſibus ſeu commatis, uti in editione Vineti, fuiſſent diſtinguenda. Verum nos, neglectis iis, quæ ipſe etiam neglexit Mela; majorem priſci moris habendam cenſemus rationem, quam Grammaticorum parum inter ſe conſentientium commentis; præſertim cum etiam abſque illis plana ſint hujus ſcriptoris verba. Nam quod dicit novitius annotator falſum eſſe Ætolos pertingere ad Iſthmum, id nihil omnino ad rem facit, nec confici poteſt ex verbis Melæ, quamcunque demum ſequaris diſtinctionem. Non Ætolos, ſed ſinum Corinthiacum uſque ad Iſthmum pertingere ſcribit, nec opus eſt quia Peloponneſii, ideo quoque Ætoli in oppoſito litore uſque ad Iſthmum continenter habitarint. Si dixiſſet ſinum Corinthium inter Rhium & Antirrhium, ſeu ut Livius habet inter Naupactum & Patros uſque ad Iſthmum irrumpere, & ſic quoque recte

recte fuisset locutus. In altero quem subjungit loco, ubi de Rhodano agit Mela, misere omnino decipitur, quum verba ejus simili distinctionis vitio scribit laborare. Nam quod negat flumen hoc inter Volcas & Cavaras in mare effluere, quod Cavares ut ipse putat non sint litorales, in eo quantum fallatur satis docet Strabo, ex quo manifeste cognoscimus Cavaras non tantum dictos illos qui inter Isaram & Druentiam habitarent, sed & Salyas & omnes à Druentia ad mare Rhodanum accolentes gentes, Cavarum censas fuisse nomine. Hoc tamen errore cæcatus verba Melæ sic distinguit; *post cursu in meridiem abducto hac intrat, accessuque aliorum amnium jam grandis & subinde grandior inter Volcas & Cavaras, emittitur.* Hac distinctione facta quia locus ostiorum Rhodani desideratur, dicit post vocem *emittitur* subintelligi, *ita per Araticos*, istas autem voces non additas à Mela *ne ingenii sui sincerum nectar acidum redderet.* Iste profecto juvenis nauteam pro nectare propinat, & putat bene se de Mela mereri, si illum sibi similem & nullius judicii faciat hominem. Nam certe talia vel scribat vel cogitet nemo cui luxatum non fuerit cerebrum.

Ab eo Frentani, Apuli ac Marucini. Habent Aterni fluminis ostia.] Quibus librorum suppetit copia, quique eo valent judicio ut recte iis uti norint, per me licet ut ea quæ scripsi expendant. At vero animosus juvenis monstrose à me deformata hæc esse affirmat, fortemque in oppugnandis iis spondet operam. Sed dum inconsulte properat, in ipso statim limine misere admodum impingit, cum dicit pessime apud Melam legi *Tiberina Ostia.* Ipse *Ostia* rescribit majuscula nempe litera & accipi vult de urbecula ut loquitur Ostia, quæ tamen magna fuit civitas & per quatuor minimum pass. millia in directum habitata. Quam parum triverit Virgilium, vel exinde cognoscas, quod & apud illum statim in initio Æneid. occurrat *Tiberinaque contra Ostia,* quod tamen nemo integræ mentis de urbe Ostia interpretetur.

Sed putavit bonus iſte juvenis Tiberim non duobus, ſed uno tantum in mare effluere Oſtio. Porro ſiquis velit hominem videre ſine corde ambulantem & audire linguam ſine capite loquentem, legat ea quæ ſequuntur; in quibus priori plane contrarium committit errorem. Uti enim ante Tiberina Oſtia pro civitate, ita hic civitatem pro Oſtio accipit. Aterni enim Oſtia, ſeu etiam abſolute Oſtia, eſt ipſum Aternum oppidum, ſitum ad Oſtium fluminis Aterni. Vibius ſequeſter; *Aternus Hadriæ, decurrens per Marſos, ubi & Oſtia civitas.* Sed & Antoninus & alii Oſtiorum Aterni faciunt mentionem.

Circes domus aliquando Circeii] Redundare comma, temere à librariis me abſente additum, recte monet juvenis. Si minutis iſtiuſmodi curis totum ſe tradat, utilem ſane præſtare poſſit operam inter typographicas operas, quibus ſi ſeſe contineat, habebit ubi regnet. Iſtos enim ſi excedat limites, omnino extra chorum ſaltat & neſcit quid agat.

AD CAP. V.

Tunc poſt Athenopolis & Olbia & Taurois] Alteram lectionem quæ propius aliquanto ad veteres accedat libros exhibuit Vinetus; ſed nos eam quam dedimus probatam etiam ab aliis prætulimus. *Tunc poſt*, an alibi apud Melam occurrat, quærant qui nugas bonis volunt redimere horis. Sufficit optimos quoſque ſic loqui ſcriptores & Melam ſciviſſe Latine. Quod vero juvenis iſte verba iſtæc; *Tunc poſt Athenopolin & Olbiam & Tauroin & Citharisten eſt Lacydon* vocet conſummatiſſimam periodum, exinde facile intelligas illum neſcire quid rei ſit periodus. Iſtud vero *Tauroin* perquam ineptum, cum nec Græcum ſit nec Latinum. Taurentum Latini, Græci Tauroenta vocant, & ſic Cæſar.

Lacydon Maſſilienſium portus & in eo ipſa Maſſilia] De Tiſanuſa quæ ſcribit Leidenſis juvenis illa nihil ad rem faciunt.

Magni

Magni enim si sint portus fieri potest ut amplectantur urbes illis minores, præsertim si insulæ sint aut peninsulæ. At vero minuti portus, qualis est iste Masilienſium, quomodo illi ambire magnas possunt civitates, qualis erat Massilia? Dicat si possit utinam fuerit portus Lacydon, quemcunque huic locum & situm adscribat, nunquam efficiet ut Massilia sita fuerit in portu.

Contra Albionem & Bergiona Neptuni liberos] Hanc lectionem è suis libris dederunt & Vinetus & alii. Albiona an Albionem utrum legas perinde est. Pro Bergiona audacter juvenis Leidensis reponit *Bergion*. Sed variantibus libris si vel unum possit producere testem à quo iste Neptuni filius sic nominetur, credam libenter. Aliquid dixisset si Dercynum aut etiam Berginum scribendum censuisset, habuisset enim si non justam, aliquam tamen sic sentiendi causam. In iis vero quæ subjungit, cum aliam ab ea quam dedimus facit distinctionem, misere fallitur & omnino non intellexit Melam, cum scribit campum lapideum non esse ignobilem, & efficere ut litus satis sit nobile. Dicit Mela litus hoc lapideum & annexos huic campos lapideos fore ignobiles, nisi fossa esset Mariana, qua parte Rhodani illuc translata, campi isti irrigantur. Hujus enim fossæ beneficio campi alias steriles & inutiles, facti sunt habitabiles & fertiles, vinumque producunt non ignobile.

Atax ex Pyrenæo monte digressus] Invitis etiam libris juvenis Leidensis monet scribendum esse *degressus*, quia nempe sic jubent nonnulli Grammatici. Sed ex antiquioribus Grammaticis constat utrunque rectum esse, cum particula *dis* in compositis idem sæpe valeat quod *de*, unde in Philoxeni glossis exponitur non tantum ἐξ, set & κατὰ & ἀπό. Idem utrumque *degredi* & *digredi* habet, non tantum pro discedere, sed & descendere. Sic *dimissum* pro *demissum* in antiquissimis Bembi membranis passim scriptum fuisse testatur Pierius, eamque lectionem pluribus exemplis confirmat Nonius Marcellus, ut audiendi non sint, qui

pleraque

pleraque iſtæc immutarunt loca, & Nonium erraſſe exiſtimant.

Et ingentis alioquin alvei capax] Idem juvenis è libris ſcriptis ſic reformat hunc locum, *etiam ingentis alioquin alvei capax*. Sed debuiſſet oſtendere *etiam alioqui* eſſet Latinum. Eſto in libris pluribus ſic legatur, ſed ſi illi ſequendi ſunt, jam ſic diſtinguendus erat locus; *exiguus vaduſque eſt etiam, ingentis alioquin alvei capax.*

AD CAP. VI.

INter Subin & Telobin amnes Tarraco urbs] Et hæc quoque abſurda vocat infelicis judicii juvenis. *Quid enim*, inquit, *an mela tribus fluviis Tarraconem cingi ſcripſit?* Profecto non intellexit Melam. Ille ut ignobilium alias inter Pyrenæum & Iberum fluminum ſitum oſtendat; illuſtriora jam apponit nomina, unde quo in loco ſint iſta flumina cognoſcamus. Itaque Ticer ipſi eſt ad Rhodam, Clodianum ad Emporias, Bætullo ad ſcalas Annibalis, Rubricatus in litore Barcinonis, denique Subin & Telobin quo loco ſint declarat, quum dicit inter hæc duo flumina ſitam eſſe Tarroconem. Ipſam vero Tarroconem præterfluit Tulcis, qui æque ac ipſa Tarraco medius eſt inter Subin & Telobin. Plana hæc ſunt, ut opus non ſit fingere aliquod flumen quale nunquam exſtitit, & Melam adeo facere ineptum ut ignota per ignotiora declarare voluerit. Quare autem *amnis* in *majus* à ſemidoctis mutatum fuerit librariis, ratio eſt manifeſta, quia nempe pravam ſecuti diſtinctionem cum Telobis parva præcederet exiſtimarent alteram deeſſe quæ nominaretur *Telobi majus*. Sed & in eo peccat iſte juvenis, quod librariorum ſecutus errorem *ſuper* conſtruat cum Tulci, cum ſit diſtinguendus ſit locus; *Tulcis eam modicus amnis, ſuper ingens Iberus Dertoſam attingit.*

Atque

Atque unde nos ſumus Tinge Cætraria] Diximus conjecturam Salmaſii pro *Tingentera* legentis *Tinge altera*, quamvis pulchra & ſpecioſa ſit, de hujus veritate tamen ideo dubitare, quod non potuerit tale cognomen habere oppidum in quo natus fuerit Mela, cum nullum exſtet exemplum, ut ſi plures ejuſdem nominis ſint civitates, ut hæc aut iſta abſolute altera vocetur. Quid ad hæc juvenis? Dicit nihil eſſe hoc argumento vanius, cum ipſe Mela poſtquam minorem Leptin recenſuit, addat *tum Leptis altera*. An ergo Leptis magna cognominata fuit Leptis altera? Oſtendere debuiſſet ullum locum aut ullam civitatem abſolute alteram dictum fuiſſe. Recte quidem Salmaſius Hiſpanicam Tingin vocat alteram reſpectu Tingis illius quæ in oppoſito erat litore, ſed negavimus illam abſolute ſic fuiſſe appellatam, cum Julia Joza, Julia traducta vel cætraria fuerit cognominata, non altera. Quærit quare potius cætraria quam cætrata fuerit vocata? Verum ipſe promat teſtem qui cætratæ meminerit, ego teſtem dedi alterius cognominis. Dicit ſe jam etiam *haſtariam* & *ſariſſariam* expectare. Sed bonus iſte juvenis diu quæret antequam Mauros & Hiſpanos inveniat ſarriſſatos, cum cætrati trecentis & pluribus occurrant in locis. De Neſto opus non eſt ut plura addamus, ſufficiunt ea quæ diximus. Mirum vero quod relicta illa quam paulo ante adſerebat Salmaſii conjectura, putidiſſimam conetur inducere lectionem, pro *Tingentera* enim, ſcribendum cenſet *Tinge hiera*. Verum quid ſibi vult iſtud *hiera*? Si Græcum eſt & ſacram ſignificet, quis riſum contineat inter Mauros & ultimos Hiſpanos recenſeri coloniam Romanam cum Græco cognomento? An ergo iſti rerum domini, qui ne in ipſa quidem Græcia alia quam Latina indidere cognomina, cum ſacram dicere potuiſſent, contra mores & inſtituta ſua Græcam prætulerunt appellationem? Sed & quare & quorſum ſacra? Fierine poteſt ut ſenſibus integris quiſquam talia vel ſcribat vel cogitet?

AD

AD CAP. VII.

A *Rados etiam in Phœnice*] A multis quidem libris abeſt *etiam*, ſed exſtat in antiquioribus & nihil minus quam otioſa. Pro Meninx quod Menix reponat & hoc quoque fruſtra, cum Meninga non Meniga plerique appellent, & dubia apud Polybium ſit lectio.

Ægates Romana clade memorabiles] Et hic quoque cenſoriam gravitatem induit juvenis ridiculus, & negat vocem cladis eodem ac apud Melam ſenſu accipi apud Livium cum ſcribit introductos eſſe in ſenatum legatos *Eumenis & Pharnacis regum & Rhodiorum querentium de Sinopenſium clade.* Dicit hic agi de clade *quam acceperunt, non quam dederunt Sinopenſes*, idque apparere ex Polybio ſic ſcribente, ἦκον δὲ καὶ Ῥόδιοι πρεσβεύοντες ὑπὲρ τῆς Σινωπέων ἀτυχίας. Quid dicat aut quid ſcribat neſcit bonus iſte juvenis, & nec Livium nec Polybium intellexit. An non ridiculi fuiſſent & Livius ita ſcribens, & iſti Rhodiorum legati ſi apud ſenatum conqueſtum veniſſent de clade quam ipſi intuliſſent? Ἀτυχία non eſt id quod juvenis iſte putat, neque etiam illud quod nonnulli exiſtimarunt, qui cum viderent ſenſum eſſe abſurdum ſi vox hæc, ita ut vulgo fit, exponatur; ἀτυχίαν apud Polybium interpretati ſunt perverſitatem ſeu nequitiam; ſed vero quid ſit ἀτυχία ſeu ἀτύχημα optime declarat Ariſtoteles Nicomachiorum quinto, ubi diſtinguit ἀτύχημα, ἁμάρτημα, & ἀδίκημα. Ibi enim docet ἀτύχημα eſſe damnum ſeu cladem præter voluntatem & ſine malitia illatam. Clemens Alexandrinus Strom. ii. fuſe hunc locum enarrans dicit ἀτυχημα eſſε, ὃ φίλον ὡς πολέμιον ὑπ' ἀγνοίας βαλεῖν. Et poſtea ἀτυχία δ' ἐστὶν ἄλλῳ εἰς ἐμὲ πράξις ἀκούσιος. Clarum eſt ergo quid ἀτυχίαν vocet Polybius. Sinopenſes amici erant Rhodiorum, quorum crebræ naves mercium Ponticarum gratia ad illos commeabant. Sed vero poſtquam Sinopen occupavit Pharnaces, Sinopenſes inviti à Tyranno

Tyranno coacti fuere invadere naves Rhodiorum. Poſt infelicem iſtam locorum Polybii & Livii expoſitionem, redit ad Melam dicens nunquam ſe dubitaſſe quin ſcripſerit ille *Ægates Romana claſſe memorabiles.* Ut tam abſurdum adſtruat ſermonem tria affert Pomponii loca, *Salamin excidio claſſis Perſicæ notior*; item *Laconicæ claſſis ſignatus excidio*; nec non, *naufragio claſſis Atticæ.* Verum ſi naſum habuiſſet, hæc ipſa loca ſufficere debuiſſent unde cognoſceret Melam non ſcripturum fuiſſe *Romana claſſe*, pro *Romanæ claſſis victoria.* Vel unum debuiſſet adducere teſtem qui claſſem poſuerit pro victoria navali.

Pelorias] In duobus libris manu exaratis *Pelorus* ſcriptum ſe reperiſſe dicit juvenis Leidenſis, unde ipſe facit *Peloris*, quia infra ſequitur *Pelorida.* Sed nos quatuor membraneos & totidem alios, in charta deſcriptos lintea, poſſumus oſtendere; in quibus legatur Pelorias, quod utique admittendum cenſuimus. Pelorida quod poſtea ſequitur & hoc quoque rectum eſſe etiam pueri intelligant. Sic & Strabo quam πελωριάδα vocat alibi πελωρίδα appellat, nec tamen propterea eſt ineptus. Quod poſtea monet & hoc quoque futile, cum elephas, elephanti & elephantes promiſcue poſitum apud Plinium, Solinum & alios paſſim occurrat complures. Ab elephas autem æque ac ab elephantus in plurium numero fit elephantis mutata ut ſæpiſſime declinatione, non elephantibus, quod nuſquam quod ſciam legitur.

Preterquam ubi Aleria & Marianæ coloniæ ſunt, à barbaris colitur] Sic in optimis noſtris invenimus membranis, non Mariana, uti vult ſciolus juvenis. Putavit nempe unam tantum in Corſica eſſe Marianam coloniam, cum duas recenſeat Ptolemæus, quarum una ad Marianum erat promuntorium, altera vicina Aleriæ. Utranque autem recenſuiſſe Melam exinde patet, quod ſi de una tantum intellexiſſet, ſequeretur alteram Marianam à barbaris fuiſſe occupatam. Sulchi an Sulci ſcribas perinde, cum utrunque rectum ſit.

AD LIB. III. CAP. I.

NOn *alio alioque invicem*] Ipſa poſtulante ſententia ſic repoſuimus, cum in libris legatur *non alios alioſque invicem.* Hanc tamen ſcripturam tuetur juvenis infelicis judicii, dicens & hæc & omnia ſequentia referenda eſſe ad *campos* qui præceſſere, ac ſi omnia litora eſſent campi & exundationem Oceani admitterent. Si alios alioſque interpretatus fuiſſet homines aut populos, rectius aliquanto dixiſſet. Sed profecto etiam ſic orator parum efficax hic noſter fuiſſet ſcriptor ſi in explicando Oceani æſtu planorum tantum litorum feciſſet mentionem & toties idem inculcaret. Dicit Oceanum non campos tantum inundare, neque alio alioque terrarum, modo in hos modo in illos populos per vices & quaſi ſucceſſive, ſed ſimul & pariter in omnia litora qualiacunque demum illa ſint impetum ſuum convertere. Recta eſt ergo ea quam dedimus lectio.

Myrtilis, Balſa] Sic ab omnibus appellantur hæc oppida, à nemine autem Myrtil vel Ibalſa, Nam quod Marcianum Heracleotam attinet, ille non potuit aliter ſcripſiſſe quam Ptolemæus, & manifeſte apud hunc ultima præcedentis vocis litera adhæſit initio ſequentis.

Uſque adeo ſemet & terras anguſtantibus] *Anguſtantis* hic reſcribendum cenſet Leidenſis juvenis & ad Hiſpaniam refert. Sed quid ſibi vult *ſemet & terras?* Quis non videat alterutrum inepte redundare? Rectius itaque Vineti editio *anguſtantes*; nempe oras, quæ æque ac terræ anguſtentur. Sic quoque habent meæ membranæ. Vaticanus tamen & alii certioris fidei libri in ablativo abſolute poſito & in ea quam dedimus conſpirant lectione. Arundelianus fere confirmat lectionem Pintiani, ſic enim legit; *uſque adeo ſemet à terris anguſtantibus.*

AD

AD CAP. IV.

NON *ſe urbibus tenet*] Recta quoque eſt illa lectio quam in libris reperiſſe ſe teſtatur Leidenſis juvenis *tenent & habitant*, quamvis enim ſingulare ſit gens, pluralem tamen habet ſignificationem. Sed vero quod libri largiuntur, idem mox deſtruit beneficium cum addit; *haud dubie tenore eodem loquendi uſum Melam ſcripſiſſe tenens habitans.* Quis enim non explodat ſcriptorem abſque ulla neceſſitate quinque ſimul jungentem participia?

AD CAP. V.

ALiquamdiu *ad occaſum ab oriente currens*] In quibuſdam libris *occurrens*; ſed quomodo flumen, ubi nullus eſt æſtus, ſibi occurrere poteſt? Vel itaque vulgata, vel Vaticani libri, in quo *excurrens*, retinenda eſt ſcriptura.

AD CAP. VI.

HIs *oris quas ab angulo Bæticæ huc uſque perſtrinximus*] Particulam *ab*, quæ à libris abeſt, addendam eſſe monuerunt viri docti. Quærit hic juvenis, ubi iſtius anguli meminerit Mela? Atqui an non ſatis clare angulum illum deſcribit, cum dicit Bæticam maria utraque proſpicere; ad occidentem, Atlanticum; ad meridiem noſtrum? Sed & quomodo poteſt Junonis promuntorium obliquo jugo in occidentem excurrere, niſi fiat angulus? Hæc cum manifeſta & omnium oculis ſint expoſita; iſte tamen juvenis legendum cenſet; *quas ab jugo Bæticæ*, addens Melam alludere ad promuntorium Junonis, de quo præcedenti egit libro. Verum an non recte loquatur Mela niſi ænigmata ſcribat? Cum mille in Bætica magis conſpicua occurrant

Juga ac ſit illud Junonis promuntorium ubi nullus mons & vix modici occurrunt colles, quis demum vel divinando aſſequatur per jugum Bæticæ hic ſignari promuntorium Junonis? At vero ſi vulgatam ſequamur lectionem, jam ſtatim intelligimus non alium hic ſignari angulum, quam illum quem jam deſcripſit flexum litoris, ubi nempe ora Bæticæ quæ meridiem ſpectat, in ſeptentrionem abducitur, & occidentem aſpicere incipit.

Qui propriarum rerum fidem] *Qui* abeſt à pluribus libris, ſed non à duobus optimis, quos præcipue ſecuti ſumus. Quod autem hoc pronomen non ſe deſiderare dicat juvenis, cito, ſed deſiderat ipſa ratio. Valde enim hiulca & inconcinna erit compoſitio ſi omittatur. Quod poſtea è libris producit ab tergo obducta, id poteſt admitti, cum & ultimo libri primi capite, & hoc ipſo libro de Germania ſic loquatur. Siquis vulgatam ſequatur lectionem, quæ & in Vaticano & pleriſque fere extat libris, ad ſignificandam facit Britanniæ magnitudinem. Cum tamen in veteribus membranis invenerim *ab tergore ducta*, pro *ab tergo reducta*, libenter credo ſic Melam ſcripſiſſe. Paulo poſt quod *autem* dederim pro *tamen*, & in eo quoque veteres ſecutus ſum membranas & editionem principem: cum cauſa quamobrem bella contrahant, clarius ex iis quæ ſequuntur, quam iſtis quæ præceſſere intelligatur. Quod expunxerim ea quæ de Juvernæ inſulæ cultoribus ſequuntur *pietatis admodum expertes*, id ideo feci, quod manifeſte appareat ea eſſe appendicem gloſſematis præcedentis *magis quam aliæ gentes, aliquatenus tamen gnari, pietatis admodum expertes*, quomodo in Vaticano & in omnibus quæ vidi antiquioribus ſcriptum inveni libris. In quibuſdam ſed recentioribus, omiſſis prioribus ſequentia tantum comparent, quod non probo; neque enim juvat ſiquis exiſtimet ideo hæc à Mela dici, quod Strabo referat incolas Juvernæ cum matribus & ſororibus miſceri. Idem enim de omnibus Britannis affirmat Cæſar; *Uxores habent deni duodenique inter ſe communes,*

&

& maxime fratres cum fratribus, & parentes cum liberis.

Contra Germaniam Vecta in illo ſinu quem Codanum diximus. Exin Scandinovia] Hæc eſt vera lectio & ſic fere libri veteres, niſi quod in quibuſdam legatur *& hinc Candanovia*, in aliis *ex his Candanovia*, unde facimus; *Exin Scandinovia.* Hæc lectio cum & libros habeat auctores, & ad unguem cum antiquis conſentiat ſcriptoribus, eam tamen mirifice vexat infelicis judicii juvenis. Expuncta enim Vecta, quam hoc ipſo in loco & Ptolemæus & ex Timæo agnoſcit Plinius, invitis omnibus libris ſex inſerit inſulas veteribus prorſus ignotas. Sic enim legit; *Contra Germaniam Vectæ, in illo ſinu quem Codanum diximus, ſex. Ex iis Scandinovia.* Dicit Melam ſic alibi loqui cum ſcribit; Græcia *à ſeptentrione in meridiem vecta.* Verum iſtic ea vox non poteſt abeſſe, hic autem plane redundat & nullius eſt ſignificationis, ſufficit enim dixiſſe *contra Germaniam.* Jam vero ad ea quæ de Thule ſequuntur; *in ea quod ibi ſol longe occaſurus*, monueram deeſſe particulam negativam, ideoque ſcribendum videri *haud longe.* Ipſe hoc valde miratur, & legendum dicit *non longe*, Cauſam adfert quod *non* propius accedat ad *O* vel *lon* quod ſequitur, quam *haud.* Verum ad hæc aliud quod reponam non habeo niſi id ſolum; ſi non aliam laborum ſuorum juvenis iſte referat mercedem, tanti non eſſe didiciſſe literas.

Oæones] Miratur hic juvenis, qui valde ſibi videtur Græculus, & me quoque Græciſſare, quia Oæonas interpretatus ſum ovis victitantes, vocemque eam eadem ratione compoſitam eſſe dixerim atque ὠαῖων, μακραίων. Ut oſtendat quam abſurdum hoc ſit, & ut Horatium elegantius loquentem introducat, ſic legit & reformat ejus verba; *Humano capiti cervinam*, &c. Pergit; *cum in* ϛαῖων *ſimplex modo ſit* ω, *quis deus inſpirabit venire ab* ὠὸν, *cum tot ſimplices Græcæ voces ab eadem vocali incipiant? Imo habeamus ipſum* ὤα. Non opus eſt deo aliquo, vel puer videat non poſſe

posse aliunde hanc vocem formari quam ab ovis. Quis vero tam fatuus sit ut ab ὤα eam arcessat, ac si homines pellibus vescantur lanatis? Hac ratione ἐπωάζειν fuerit non ἐπ' ὠοῖς καθῆσθαι, sed pellibus incubare. Quod autem una tantum superest litera, ad rem non facit, cum dentur etiam voces in quibus nulla remaneat litera, quarum tamen originem & compositionem assequantur Græci. Sive à singulari, sive à plurium numero vocem hanc arcessas, utrunque recte se habet, ut enim ex μακροάωνες contractum μακρώωνες, ita ex ὠοάωνες fiunt ὠάωνες. Infinita enim exempla & præcepta grammaticorum non permittunt tantum, sed & jubent ut fiat contractio, si in compositis, quæ in fine est vox, à vocali incipiat, exceptis tantum nonnullis in εἰδὴς aut ἔιδης terminatis, quanquam in illis quoque nonnunquam fiat contractio. Quod si à plurali ὠά fiat compositio, uti sæpe, jam omnes in ὠάωνες comparebunt literæ. Iste tamen juvenis audacter affirmat *Ooæonas* vel *Oonæonas* esse legendum; sed debuisset promere aliquem scriptorem à quo iste populus vel hoc, vel illo appelletur nomine. In hac autem quam dedi lectione, omnia antiqua Plinii & Solini conveniunt exemplaria.

Panotos] Admisimus Panotos, vel si maris, Panotios, veluti lectionem magis verisimilem: addidimus tamen fieri posse ut Tanuotos scripserit Mela, utpote quod & ipsum non multum recedat à scriptorum librorum lectione. Verum utrunque explodit infelicis judicii juvenis, & ex eo quod in scriptis reperit codicibus & *analos* vel *satinales* audacter affirmat legendum esse *Ouatmallos*. Si Melam Sarmatice loquentem in scenam producere voluisset, aptius non potuisset invenire vocabulum. Iste tamen Græculus juvenis Græcam esse contendit hanc vocem & quidem tam claram, ut expositione non egeat. Ut hoc efficiat addit; *sic* δρακοντόμαλλοι Γοργόνες *Æschilo in Prometheo, quia habebant* κεφαλὰς ὠδιεσπειραμβύας φολίσι δρακόντων. Misere fallitur. Quis enim nescit Gorgonibus attribui capillitium angui-

anguinum? Quis item non videat in hoc Apollodori loco legendum esse σκολύσι δρακόντων; Sed & quis ignorat μαλλὸν & σκόλυν idem esse accipique pro comis & cirris anguium seu draconum instar contortis? At vero si barbaram istam admittamus vocem, cui similem in tota lingua Græca nemo inveniat, Mallouatos enim aut Mallotios non Ouat-mallos dixissent, jam non magnas & patulas, sed laneas vel cirratas habebimus aures, quod quid sibi velit, aut quomodo ad Panotios pertineat, nemo expediat; cum non nisi æque ineptam ac sit ipsa compositio, vox istæc admittat expositionem.

AD CAP. VII.

Prudentiores eis quibus ars studiumque sapientiæ contingit] Quia in suo libro pro *eis* juvenis Leidensis *ei* invenit, ideo locum hunc sic legendum censet; *prudentiores & quibus ars studiumque*, promittitque se ubi otium fuerit hæc probaturum. Sed operam perdet, non enim intellexit Melam, nec vidit ubi ulcus lateat. Quid enim hoc in loco sibi vult ars sapientiæ? Iterum itaque consului veteres libros, in quorum nonnullis abest ultima vox *contingit*. Sed veram exhibet lectionem codex optimus; *Prudentiores eis, quibus ars studium est sapientiæ, non exspectant eam*, &c. Convenit codex Arundellianus, nisi quod pro *eis* habeat *enim*. Priora ad verbum pene descripsit ex Thalia Herodoti. Hæc quæ sequuntur, pertinent ad Calanum Indum parasitum mensæ Alexandri; & præterea ad Zarmanum Chagam uti Strabo, vel Zarmarum ut eum Dio appellat, & ipsum sophistam Indum, quorum iste Babylone præsente Alexandro, alter Athenis sub Augusto ambitioso funere vivos se combussere. Hos dicit prudentiores fuisse illis Indis, qui in solitudine ingloria morte perirent, utpote qui studium sapientiæ convertissent in artem vivendi, & non nisi demum vitæ pleni, læti & unguentis delibuti, glorioſam sibi accerciſſent mortem.

Post

Poſt ubi aliquot ſæpe magnis flexibus cingit jugum ingens iterum rectus ſoliduſque deſcendit] In multis manu exaratis libris poſt *ingens* ponitur diſtinctio, quam lectionem probat juvenis Leidenſis. Sed non ſic rem confectam habemus. Quomodo enim Indus rectus ſoliduſque poteſt deſcendere, ubi magnis flexibus cingit jugum ingens? Non ubi flexus agit & jugum vel inſulam cingit, ſed demum ubi iterum conjungitur rectus ſoliduſque poteſt fluere. Olim *cinxit*, non cingit legendum eſſe exiſtimari. Eam tamen lectionem non admiſi, quod in antiquioribus libris pro *jugum* ſcriptum eſſet *jugum ejus*, in omnium vero optimo *jugumenis*. Statim poſtea cum tollit voculam *ſed*, nec hoc quoque admittendum. Quamvis enim à multis abſit libris, exſtat tamen in antiquioribus. Locus quem affert ille nihil ad rem facit, cum quod ibi occurrit *non tantum*, & oppoſitum his *etiam*, omnem ambiguitatem & confuſionem prorſus tollat.

Putreſcentium membrorum tabe concreſcens ipſa ſe concipit] *Tabo* legendum cenſet juvenis Leidenſis, & cauſam addit, quod ex tabe nihil concreſcit, nec tabem dici de putreſcentibus membris. Sed nuſquam invenias ex putreſcentibus membris naſci tabum, paſſim vero invenias putridam tabem. Nuſquam quoque reperias ex tabo ſeu atro cruore naſci phœnicem, ſed vel ex ſanie alba, vel ex cinere oſſium permixto medullis. Nec dicit Mela phœnicem ex tabe concreſcere, ſed ſolvi tabe putrecſentium membrorum. Tabes enim ſive diminutio membrorum eſt via ad ultimam corruptionem, quam putrefactionem paſſim vocat Ariſtoteles. Iſtam vero ultimam corruptionem ſeu putrefactionem ſequitur diſſolutio, diſſolutionem vero nova concretio & demum generatio. Si pravam librarii tollas diſtinctionem, omnia clara erunt; *ſibi ipſa incubat, ſolviturque deinde putreſcentium membrorum tabe: concreſcens ipſa ſe concipit, atque ex ſe rurſus enaſcitur.*

AD

AD CAP. IX.

Miræ aves cornutæ Tragopanes.] Et hic quoque nugatur Leidenſis juvenis, cum dicit tragopanas non poſſe aliud ſignificare quam hircos cornutos, non autem aves. Atqui ſi iſtis hircis cornutis accedant alæ, uti ſæpe in antiquis Ægyptiorum Sculpturis, an non etiam fiunt aves? Eadem eſt ratio Ægiptanum, qui aliquando cum alis, alias vero abſque iis finguntur. Neſcit præterea inter aves non capellas tantum, ſed & tityros, id eſt hircos, reperiri. Iſte tamen Juvenis non contentus. Stabilita à viris doctis lectione, ut aliquid novi procudere videatur, fingit vocem ipſa magis monſtroſam ave, pro tragopanes enim ſine hæſitatione legendum eſſe affirmat *tragopaones*. Ut Græcum fiat dicendum fuiſſet tragotaones. Græco-Latinum non poteſt eſſe niſi fiat tragopavones.

Alit papyrum & minora quidem.] Ut toto paſſim hoc ſcripto, ita quoque in fine & clauſula ſatis oſtendit quanta bonæ mentis & rationis Juvenis iſte laboret inopia, cum pro eo quod eſt in veteribus libris *alit & pyrum*, audacter reponit, *alit & ſcirpum*. Adeone ergo ineptus fuit Mela ut cauſam dicturus quamobrem Nilus ex hoc Mauritaniæ fonte creditus fuerit profluere, eo uſus fuerit argumento, quod ibi ſcirpi naſcantur, qui toto terrarum orbe in omnibus paſſim proveniunt paludibus, ſtagnis & fluminibus? Fruſtra ad teſtes provocat, cum nemo unquam tam ineptus & rerum imperitus fuerit, ut ſcirpos in ſola provenire: dixerit Ægypto.

Habes, mi Grævi, unde ſatis colligas, quid de nova quam tranſmiſiſti pomponii ſentiam editione. Perſecutus ſum ſingula ſi minutias quaſdam excipias, uti ſunt *eſt* vel poſitum vel omiſſum, *Scyron* pro *Scyrum*, *quis* pro *quibus*, & pauca quædam ſimilia quæ libenter neglexi. Recte ſane fecerit Juvenis iſte ſi Bonæ litet Menti, & depoſita feritate & iracundia pacatiores induat mores.

LECTORI BENIGNO

SALUTEM.

IIſdem fere diebus quibus ad manus meas pervenit Leidenſis juvenis ſcriptum, de quo hactenus egimus, prodiit quoque Oxoniæ contra Ariſteæ de LXX. Interpretibus hiſtoriam alterius juvenis diatriba, qua ea quæ olim de hoc ipſo ſcripſi Argumento ad examen revocantur. Modeſtior eſt quidem ille iſthoc Leidenſi juvene, ſed dum difficiliorem quam adminiſtrare poſſit ſuſcipit provinciam, non eſt ut miremur ſi operoſos ejus conatus nihilo felicior maneat exitus. In ipſo ſtatim titulo promittit oſtenſurum ſe iſtam Ariſteæ hiſtoriam *ab aliquo confictam fuiſſe Judæo ad conciliandam verſioni Græcæ auctoritatem.* Nempe ſi hoc obtineat, facile quoque obtinebit & Moyſis & prophetarum ſcripta ad amplificandam Moyſis & prophetarum auctoritatem ſimiliter ab aliquibus conficta fuiſſe Judæis. Sed miſſis illis quæ ad rem non faciunt, qualia ſunt illa quæ habet de nomine Ariſteæ & aliis nonnullis, de quibus tamen meliora ſcribi potuiſſent; excutiamus argumenta quibus ille confiſus labefactare & convellere conatur ſinceritatem ſcriptoris, de cujus fide jam à bis mille annis uſque ad noſtra tempora qui dubitarit repertus eſt nemo. Hermippi præcipue ſuffultus teſtimonio rem totam ſe conficere poſſe exiſtimat, in quo tamen plurimum fallitur. Licet enim verum eſſe conceſſerimus id quod ſcripſerunt Hermippus & ex illo Strabo, Demetrium Phalereum mortuo demum Caſſandro Ægyptum adiiſſe, nihil tamen aliud efficiemus,

ficiemus, niſi id ſolum, tempus quo in *Ægypto* vixerit Phalereus non viginti quatuor, ſed quatuordecim aut quindecim tantum fuiſſe annorum. At vero monuimus Hermippum geminum hoc loco commiſiſſe errorem, & veriorem videri illorum ſententiam, qui ſtatim poſt amiſſam tyrannidem, aut certe non diu poſtea, illum ad Ptolemæum Se contuliſſe ſcribunt, uti Diodorus, Plutarchus, Euſebius, & alii. Sed Diodori verba aliter accipienda eſſe affirmat juvenis Oxonienſis, & poſtrema illa de profectione in Ægyptum ideo addita, ut ſciamus quid demum de hoc Demetrio factum ſit decennio aut pluribus annis poſtea. Totos enim decem priores exilii ſui annos exegiſſe eum dicit Thebis, aut alibi, ſub patrocinio Caſſandri, huic ut putat amiciſſimi. Sed eſt exacti hiſtorici ſingula ſuis locis reddere, non autem res confundere & quæ tot annorum intervallo diſtincta ſunt ſine ſignificatione tam longi quod interceſſit temporis ſimul recenſere, ut excuſari non poſſit Diodorus, ſi non conjungenda ſine aliqua præfatione conjunxerit. Quod autem putat Phalereum iſtum poſt amiſſas Athenas gratum Caſſandro fuiſſe hoſpitem, fieri id qui poteſt, cum iſtac jactura omnes pene Caſſandri profligatæ fuerint opes, effeceritque ut lenta demum conſumtus tabe perierit? Tantum abeſt ut ſpendido apud Caſſandrum loco eſſe potuerit, ut credibile ſit ne vultum quidem ejus ſuſtinuiſſe; relictis enim Athenis illo quo Thebis fuit tempore ſine ullo vixit honore, male audiens & vilia quæque obiens ἀδόξως & ταπεινὰ πράττων ut habet Plutarchus.

Utrum vero Demetrius Phalereus, poſtquam Athenarum excidit principatu, in animo ſtatim habuerit Ptolemæum adire, an vero aliquandiu poſtea, ad rem non facit & futilis omnino eſt quæſtio. Quod dicit ab Athenis non dari viam quæ per Thebas in Ægyptum ferat, & hoc quoque futile. Phalereo iſti non data fuit optio proficiſcendi quo vellet, ſatis illi fuit evaſiſſe furorem populi & in proximo exponi loco. A Caſſandri & Poliorcetæ copiis militaribus

litaribus intercluso per maria itinere, necessum habuit non Thebas tantum, sed & Macedoniam & Thraciam terrestri adire itinere. Nam & Thraciam adiisse & illic quoque latuisse colligo ex Polyæno Lib. 3. circa finem, ubi scribit illum agnitum & jamjam comprehendendum à rege Thraciæ, abdidisse se in plaustro onusto fœno & sic evasisse. Satis ex his verisimiliter cognoscimus, post amissas Athenas, nusquam diu substitisse Demetrium Phalereum, vitamque ejus fugam fuisse perpetuam donec Alexandriam tandem appelleret. Sed & quam vana sint pleraque ea quæ de decennali hospitio & gratia qua apud Cassandrum floruerit, Oxonienſis iste scribit juvenis, & hoc quoque patet.

Veniamus nunc ad alterum quem mihi objicit errorem, & videamus num in coarguendo eo felicius rem gerat. Affirmat Diogenes Hermippum scripsisse Demetrium Phalereum metu Antigoni ad Ptolemæum Lagi se contulisse. Oxonienſis juvenis negat hunc Antigonum esse Antigonum magnum, sed intelligenda hæc esse contendit de Antipatro Cassandri filio quem & ipsum Antigonum dictum fuisse affirmat. Verum plurimum errat, cum nullum Cassander hoc nomine filium habuerit. Nihil eum juvant Græca ex canone Eusebiano, quis enim nescit illa esse fictitia & ex Hieronymo desumpta? Si binomius fuisset Antipater, debuisset dici Antipater Cassander, non Antipater Antigonus. Apud Græcos enim cognomina addebantur aut à parentibus, ut Arridæus philippus, Theocritus Simmichidas, Eumedes Cratidas, Ptolemæus Lagus, & complura similia quæ Græci vocant πατρωνυμικὰ ἀπαρεμφάτως λεγόμενα; Aut à præceptoribus ut Apollonius Molo, Manlius Antiochus, Aristides Quintilianus & plures alii; Aut denique à dominis, uti passim apud Romanos. Sed nihil horum locum habet in Antipatro, nec ulla potest fingi causa quamobrem Antigoni huic accesserit cognomentum. Non alio fundamento nititur hoc figmentum, quam verbis Hieronymi, qui cum libro primo recte scripsisset *Macedo-*

nibus

nibus regnavit XXVII. *Antigonus & Alexander Anno* 4. in posteriore tamen libro addit eos filios fuisse Cassandri, errore manifesto, cum iste Antigonus qui post mortem Cassandri appellatus fuit Rex Macedonum fuerit Antigonus Gonatas, filius Demetrii Poliorcetæ, qui & ipse duodecim annis, antequam solus in Græcia & Macedonia regnaret, æque ac pater & avus, Græcorum & Macedonum Rex audiebat. Si itaque Hermippum ab errore vindicare velimus, aut de Antigono Gonata accipienda sunt ejus verba, aut dicendum Antigonum nominari pro posteritate Antigoni; cum inter filios Cassandri nullus fuerit Antigonus, & etiamsi fuisset, nulla tamen fingi possit causa, quamobrem ab isto sibi timeret Demetrius Phalereus. Longe ille aberat terrarum & in tuto nisi fallor jam versabatur, & licet præsens fuisset, frustra tamen timuisset regulum vix in aliqua Macedoniæ regnantem parte & jugulatum antequam in solio confirmaretur, ipse præsertim in humili latitans loco & nullorum particeps consiliorum.

Plura dein contra Aristeam juvenis Oxonienſis profert argumenta, in quibus valde sibi placet, cum tamen ex omnibus ne unum quidem sit quod succedat. Quia nulla hoc loco in Aristea Ptolemæi patris fit mentio & omnia ad Philadelphum referuntur, ideo existimat illo tempore patrem non fuisse superstitem, Sed plurimum fallitur. Aliquot annis simul regnarunt pater & filius: Sed ultimo biennio, quo pater ut habet Justinus *Regno ei publice tradito, privatus Officium Regi inter satellites fecit*, mirum videri non debet, si nulla patris fiat mentio & omnia ad filium referantur. Sed & hoc clarum, quare in Epistola Eleazari nulla salus adscribatur patri & conjugi ejus, utpote qui non vivere, sed regnare desiissent.

Ex eadem Epistola quia memorantur regina & liberi Philadelphi, cum argumentum sumit non potuisse eam scribi, nisi diu post obitum Ptolomæi Lagi, & tum quoque fallitur. Locus quem affert Justini ubi Philadelphus jam regnans

regnans juvenis vocatur, & alter Herodiani ubi idem dicitur regnum adiisse ἐν νεότητι id est in juventute, & alius ex fragmento porphyrii ubi est τῷ παιδὶ τῷ ἀρχῇ δεκαδεξαμένῳ nihil juvant, cum voces istæ certum non determinent ætatem, & ad triceſimum annum adoleſcentes, ad quadrageſimum vero ſextum juvenes appellentur apud Græcos quidem ſæpe, apud Romanos vero ſemper. Nihil itaque obſtat quo minus Ptolemæum Ceraunum cum occumberet immaturum juvenem & νέον παντελῶς fuiſſe credamus, etiamſi multo plures quam triginta vixiſſet annos, ut opus non ſit ſeptennem huic tribuere filiam, quam ea jam ætate Pyrrho elocarit. Sed neque conſtat utrum iſte Ceraunus major natu fuerit Philadelpho. Quamvis enim mater Cerauni prius nupſerit Ptolemæo Lagi, ac mater Philadelphi, tamen cum hic posterior à patre prælatus fuerit in ſucceſſione, videri poſſit ætatis id factum fuiſſe prærogativa. Quod ſi inter eos Ceraunus fuerit liberos, quos ex Eurydice genuit Ptolemæus antequam Berenicen haberet conjugem, quadrageſimum etiam ætatis potuit attingere annum, cum ſtatim in initio Eurydicen duxerit uxorem, & abſurdum videatur non niſi viceſimo aut decimo nono Regni Anno natum demum ex hoc conjugio fuiſſe Ceraunum. Minus etiamnum ſuccedit quod de Philadelpho ſcribit, illum cum Regnum adiret annorum fuiſſe ſedecim, mortuum vero anno ætatis quinquageſimo ſexto. Putat nempe hanc ætatem ſufficere ad explicandum Plutarchi locum, ubi Philadelphum in Regno conſenuiſſe ſcribit. Atqui hac ratione ne quidem attigit ſenium, cum qui breviſſimos vitæ humanæ ſtatuunt terminos, ſexageſimum annum faciant ſenectutis principium: à Dionyſio vero Halicarnaſſeo ſenes ab anno demum ſeptuageſimo vocari incipiant. Ut itaque conſenuerit Philadelphus ſeptuagenario majorem fuiſſe oportet, & trigeſimum annum diu exceſſiſſe cum ſolus regnare inciperet.

In

In pompa Philadelphi & patris ejus, quam describit Athenæus, quod nulla sororis Reginæ fiat mentio, quid mirum, cum ne legitimæ quidem conjugis nomen ibi appareat? Sed negat Philadelphum, cum regnare inciperet, ullam habuisse conjugem, & causam affert eam, quod Athenæus scribat Sotaden in Alexandria solitum fuisse dictis lacerare Lysimachum, apud Lysimachum vero probris incessere Ptolemæum Philadelphum, quod futurum fuisse negat, si affinitatis intercessisset vinculum. Sed ipsa Sotadis verba melius rem expediunt. Apud Lysimachum criminabatur Sotades Philadelphum, quod cum legitimam haberet conjugem filiam nempe Lysimachi & ipsam dictam Arsinoen, illa tamen posthabita incesto amore pollueretur cum Arsinoe sorore sua eademque conjuge Lysimachi. Idem vero apud Philadelphum accusabat Lysimachum, tanquam male de Philadelpho loquentem.

Pergit tamen Oxonienſis juvenis & multus est in eo, ut ostendat Philadelphum cum regnare cœpit nullam vel conjugem vel liberos habuisse, & demum affirmat Regem hunc postquam jam duodecim regnasset annos exarsisse amore sororis agentis quadragesimum sextum vel octavum ætatis annum, & ipsum totidem fere jam natum annos. Miror sane cum verba Herodiani tam clara & manifesta, adeo tamen infeliciter interpretari, ut quovis ea enigmate faciat obscuriora. Quis enim ista intelligat *Philadelphum præ immatura ætate mores tam malos didicisse, ut tandem sororiis amoribus implicaretur*? Istud *tandem* non est in Græco & totum destruit sensum, qui alias omnino perspicuus est. Jam à prima adolescentia illicito sororem amore prosequebatur Philadelphus vel ipso id attestante nomine. Quamvis à patre elocata Lysimacho, ne sic quidem cessavit incestus, ut ex Sotade cognoscimus. Ad Regnum vero provectus juvenis, non tamen ab illegitimis & vetitis abstinuit nuptiis, cum regibus liceat quicquid libet & pravæ primæ ætatis consuetudines diutissime inhereant & totam sæpe perdurent

perdurent vitam accendente voluptatem ipſa criminis magnitudine.

Ex his quæ hactenus diximus ſatis liquet recte ſe habere omnia in Epiſtola Eleazari cum & Reginæ ſororis & libero-Philadelphi facit mentionem. Reginam vocat quod uxor eſſet Lyſimachi. Quamvis autem conjugis loco eſſet & omnia apud Ptolemæum poſſet, ſoror tamen vocabatur εὐφημίας ergo. Cum vero negat Philadelphum ullos hoc tempore habuiſſe liberos propter ſeras Euergetæ nuptias & tum quoque fruſtra eſt. Quis enim neſcit principes ſi ſagaces ſint, ad ipſam pene ſenectam abſtinere à legitimis nuptiis, metuentes ſibi à liberis, qui ſi grandes fiant, & ſceptro & vitæ eorum inſidiantur. De Ptolemaide quæ habet, nec illa quicquam faciunt contra Ariſteam. Et Ptolemæus pater à quo nomen accepit ea Civitas, & filius Philadelphus qui eam auxit & ornavit, & qui poſtea ſucceſſere Reges ſub quibus ad majorem etiamnum crevit amplitudinem; omnes recte κτίσται ſeu conditores dicuntur, cum κτίζειν paſſim ita accipiatur.

Multa deinceps confert loca ut conficiat non fuiſſe magnam Philadelphi gloriam niſi cum jam multos regnaſſet annos, ſero enim literis & bibliothecæ inſtruendæ animum applicuiſſe, & illo demum quo vivere deſiit anno conquirendis undique incubuiſſe libris: unde facile colligas, Philadelpho non à Prima inſtitutione: & continuo literarum & literatorum uſu & commercio, ſed ſubito & pene momento in ultima ætate magnam iſtam & tantopere prædicatam obtigiſſe doctrinam, & vaſtam illam bibliothecam cui congerendæ nulla humana videtur ſufficere vita cooperantibus etiam multis librariorum & calligraphorum millibus, paucis tamen menſibus à moribundo jamjam Rege perfici potuiſſe. Mira ſane ſunt iſta, ſed non minus mirifica ſunt argumenta quibus hæc adſtruere conatur, veluti cum ex ſilentio Theocriti affirmat Philadelphum quando iſta ſcribebat Theocritus, nullam habuiſſe bibliothecam

bibliothecam, quia nullam in istoc idyllio hujus fecerit mentionem. Africani locus ad quem remittit ille nusquam comparet. Si tamen tale quid scripserit ille, ita hoc accipiendum est, quod ut toto vitæ spatio, ita quoque illo quem signarit anno locupletandæ operam dederit bibliothecæ. In loco Josephi plurimum fallitur. Τὴν βασιλείαν Πτολεμαίου non potest id significare quod ipse vult. Millies & ubique id occurrit, & nunquam aliter accipitur, nisi de eo qui primum regnare incipit. Et sane quam ridiculus fuisset Josephus si ultimo vitæ anno Philadelphum suam instruxisse dixisset bibliothecam, & quidem curam ejus gerente Demetrio Phalereo. Posito tamen hoc absurdo, pergit ratiocinari & dubitat utrum Eleazarus, cum sacræ literæ in Græcum sermonem converterentur, fuerit Judæorum Pontifex, & num Menedemus Philosophus istoc tempore in Ægypto esse potuerit. Sed dicat si non sub Eleazaro, in quo omnes conveniunt, sub quo ergo alio pontifice facta fuerit illa versio? Menedemum dicit non nisi septennio supervixisse Ptolemæo Lagi filio. Atqui si ne unum quidem diem huic supervixisset, omnia in Aristea & Josepho recte se habere quis non videat, cum versio illa peracta fuerit vivente etiamnum, licet non Regnante Lagi filio.

Multus est deinceps ut ostendat non esse verisimile Demetrium Phalereum postquam principatum Athenis tot annis tenuisset, bibliothecarii munere functum fuisse in Ægypto. Exemplis & argumentis pluribus evincere conatur præfecturam bibliothecarum non magis honorificam fuisse apud veteres, quam sit apud hodiernos. Esto sane. Verum Oxonienſis iste juvenis qui nunquam collegium excessit & nescit quid rerum foras agatur, omnes bibliothecarios similes esse existimat illis, qui versantur in iis quæ frequentat collegiis, quorum conditio inter Baccalaureos & Magistros artium præterpropter est media. Sed si in Galliam transeat, inveniet Archiepiscopum Remensem Primatem totius Galliæ

qui ſit regius bibliothecarius. Si Romam pergat, habeb primarium Cardinalem qui Romanæ Eccleſiæ bibliothec rii gaudeat titulo. Quod ſi non tantum à magnitudin & potentia Regum Ægypti, ſed & à dignitate ipſius bibliothecæ argumentum ducamus, & tum quoque neceſſe eſt, tanto præſtantius id munus olim fuiſſe exiſtimemus, quanto Alexandrina olim bibliotheca præſtantior fuit Vaticana, additis etiam in cumulum omnibus totius Europæ bibliothecis: ut merito aliquis dixerit, non minus glorioſam Demetrio bibliothecæ præfecturam fuiſſe ſub Ptolemæo, quam Athenarum ſub Caſſandro. Sed iſte juvenis ex male intellectis Ariſteæ & Joſephi locis putat Demetrium fuiſſe librarium & compingendis & glutinandis operam locaſſe libris, quod ſane lepidum. Verba Ariſteæ bene ſe habent, διαπεπλωκότα βιβλία ſunt libri quorum ſcriptura vetuſtate aut aliqua contracta labe evaneſceret, quales etiam Reges & principes ſiqui prudentes & ſimul literarum ſint amantes ut inſtaurentur & de novo deſcribantur ſolent jubere.

Ariſtobulum dein aggreditur Oxonienſis juvenis. Adeo implacabile eſt odium quo Ariſteam perſequitur, ut hujus cauſa omnes quoque inſectetur, qui vel de illo vel de Demetrio Phalereo reddidere teſtimonium. Cum ex Epiſtola quæ exſtat II. Machab. conſtet illum præceptorem fuiſſe Ptolemæi Philemetoris, cum commentarios ejus probarint & laudent Clemens Alexandrinus, Origenes, Euſebius, alii: quis non meretur inficeto demum hoc noſtro ſeculo prodire aliquos adeo perſpicacis ingenii homines, ut ſpurios fuiſſe affirment, iſtos quos non legerunt commentarios; & illos qui eos legerunt omnes vel deceptos vel mentitos fuiſſe audacter adſtruant? Ne tamen de nihilo ita ſentire videantur, audiamus quam afferunt cauſam. Epiſtola in qua Ariſtobulus appellatur præceptor Ptolemæi ſcripta fuit viginti & uno annis poſt mortem Philometoris. Qui vero ſucceſſit frater Ptolemæus Phyſcon ſexageſimum jam exceſſerat ætatis annum. Abſurdum vero eſſe inquiunt tam

provectæ

provectæ ætatis Regem præceptoris obnoxium fuisse magisterio. Futili hoc confisi argumento juvenis Oxonienſis ſpuriam esse pertendit istam Epistolam, ſpuria quoque & falsa esse dicit quæcunque Aristobulus iste vel scripserit, vel alii de illo prodiderunt. Mirum sane adeo eum imperitum esse rerum & consuetudinum quæ omnibus locis & omnibus semper obtinuere temporibus quæque passim & ubique etiamnum fiunt. Quis enim nesciat nutritiorum, pædagogorum,& omnium eorum qui educationi & formandis adolescentiæ præsunt moribus, & nomina, & titulos, & emolumenta tamdiu perseverare, quamdiu vel ipsi, vel Reges vivant? Pleni sunt libri exemplis Regum etiam in extrema ætate præceptores suos hoc nomine salutantium. Quod siquis hodierna malit vel vicinam adeat galliam, in qua licet quam diutissime regnarit magnus ille Rex, præfecti tamen seu gubernatoris non cessat titulus.

Æque futile est quod subjicit argumentum, exinde petitum quia Aristobuli in scripturam commentariorum nullam Josephus fecerit mentionem. Ecqua enim est causa quamobrem hujus operis in historia meminisse debuerit? Ne Philonis quidem operum meminit, & nisi legatione ad Caium cæsarem functus fuisset, ne nomen quidem Philonis apud Josephum exstaret.

Pergit tamen feroculus iste juvenis aliis quoque sed vanis & irritis Aristeam impetere telis. Dicit illum delirare cum scribit Philadelphum anniversariis sacris & conviviis celebrasse diem illum quo insigni victoria pulsus fugatusque fuerit Antigonus. Putat me nec Aristeæ nec Diodori verba intellexisse. Dicit nihil illo bello gestum fuisse quod victoriæ navalis nomen mereatur: nullum à Diodoro memorari prælium, nullam naumachiam præclaram. Si sciret juvenis iste quid sit naumachia seu bellum navale, non hæc scriberet. Quod nullius prælii in hoc bello meminerit Diodorus, vel ob hoc ipsum præclarior & illustrior ea fuit victoria, quæque vel sola suffecit ut Soteris no-

men meruerit Ptolomæus, conſervando ſuos & ſimul in fugam vertendo adverſarios. Quis neſcit Pompeium ideo laudatum, quod incruenta victoria bellum confecerit piraticum?

Cum dicit Philadelphum vix natum fuiſſe belli iſtius navalis tempore, & tum quoque fallitur, cum ille jam decimum quartum aut etiam quindecimum ætatis attingere potuerit annum. Verba autem Ariſteæ de hac victoria non intellexit. Putat enim Philadelphi eſſe verba quæ ſunt Ariſteæ. Regis verba ſunt illa quæ præceſſerunt, cum dicit feſtum ſibi forè quandiu viveret illum diem, quo interpretes illum conveniſſent. Per parentheſin inſerit hic Ariſteas; Forte enim ita accidit, ut eodem anni die, quo interpretes adveniſſent, olim quoque nobis contigerit victoria in navali contra Antigonum bello. Ἡμῖν non poteſt hoc loco eſſe quod dicit, ſed nobis Alexandrinis & Ægyptiis & omnibus τοῖς περὶ τὸν βασιλέα. De convivio & ſacrificio annuo propter hanc victoriam inſtitutis, ſi quis ea quæ ſcripſi legat, videbit juvenem iſtum cavillari. Alium dein errorem impingit Ariſteæ, ac ſi ille confundiſſet primam & ſecundam Ptolemæi in Syriam expeditionem. Dicit in prima expeditione, quam per Nicanorem confecit Ptolemæus, omnia iſta capta fuiſſe mancipia, quibus poſtea libertatem conceſſit Philadelphus. Hoc ut efficiat mirifice ſane torquet Joſephi verba, & ex male intellecto loco, pejora etiamnum format conſequentia. Tria Joſephus memorat Judæorum genera quæ captis Hieroſolymis in Ægyptum & alias Ptolemæo obnoxias migrarunt terras. Primo recenſet illos qui in montanis locis & in vicinia viverent Jeroſolymorum, quos omnes bello captos mancipia fecit & in Ægyptum tranſtulit Ptolemæus. Deinde loquitur de Jeroſolymitis, quorum multos ſecum abduxit, & quod fidem illorum perſpectam haberet, tuendis arcibus præfecit & Civitatis Alexandrinæ jure donavit. Poſtremo agit de aliis qui vel Jeroſolymis vel alibi remanſiſſent Judæis

dæis, quos dicit ubertate terræ Ægyptiæ & munificentia Ptolemæi inductos & ipsos sua sponte in Ægyptum migrasse. Quamvis autem non intelligam quid sit *Judæorum multitudini libertatem præcidisse* puto tam hoc voluisse juvenem istum, Judæos istos qui sponte sua terras suas deseruere, non tamen prius in Ægyptum migrasse quam libertas redderetur iis, quos primo Josephus recensuit captivis. Sed scire velim unde tale haurire potuerit somnium, cum tam clara sint Josephi verba? Desinat tandem scriptorum vexare loca & tam alienos illis affingere sensus. Credat Josepho, & illi, cui & Josephus & omnes credidere antiqui, Aristeæ inquam qui rem clare explicat, cum in edicto Philadelphi, quod scripto suo inseruit, non unius temporis Judaica recenseat mancipia, utpote cum scribat, illa non tantum cum caperentur Jerosolyma, sed & antea & postea fuisse deportata. Quid enim verbis ejus manifestius! Ὁμοίως δὲ καὶ εἴτινες πρὸ ἥσαν, ἢ καὶ μετὰ ταῦτα εἰσὶν εἰσηγμένοι.

Quæ deinceps sequuntur talia sunt, ut merito maturius in hoc juvene judicium requiram. Dicit non esse credibile Demetrium Phalereum & alios istos in aula Regia viventes per Epistolam convenisse Philadelphum Regem. Servorum & vulgarium hominum hunc esse morem pertendit, non autem illorum qui tanta familiaritate Regi essent conjuncti. Sed parum gnarus est iste juvenis eorum quæ in aulis Regum principumque geruntur. Notus quis & quantus fuerit Sejanus. Attamen etiam ille apud Tacitum IV. Annal. *Componit ad Cæsarem codicillos*. Addens, *Moris quippe tum erat, quanquam præsentem, scripto adire*. Non solum in magnis, sed etiam in minimis quæ Reges conferunt beneficiis non sufficit viva vox, ut ratum sit beneficium, opus est rescripto, veluti signo per quod cognoscatur Regum voluntas. Rescriptum vero non datur nisi præcesserit libellus, codicillus aut Epistola. Futile est itaque quod de Onia objicit Scaligero. Si enim voce tantum annuisset Rex Oniæ, irrita fuisset ea concessio. Per-

Pergit tamen nugari juvenis Oxonienſis & quærit à me ſi hiſtoriam Scripturus ſim, utrum huic inſerendas exiſtimem literas noſtri ſeculi principum ea qua ſcribuntur ratione Latine expreſſas, an vera in alium ſtylum reformatas? Ullumne juvenis iſte probæ notæ poſſit oſtendere hiſtoricum, qui Regum principumque literas, barbaro plerumque Cancellariæ ut loquuntur conſcriptas ſermone, ſuis inſeruerit laboribus? Si qui principes adeo infeliciter animati ſint ut id fieri cupiant, res ſuas committant ſervis mercenariis & vilibus ſcribis, non autem illis qui poſteritati commendata ſua eſſe velint ſcripta.

Epiſtolam Demetrii Phalerei nomine ſcriptam inſulſam & barbariſmis plenam eſſe dixit ſed nunquam probare potuit Valeſius. Inſtanti olim mihi ut cauſam redderet, aliud quod reponeret non habuit, niſi hoc tantum, omnes iſtas Epiſtolas ejuſdem videri eſſe autoris. Quod ſane libenter concedimus, cum omnium hiſtoricorum mos ſit ut etiam cum alios loquentes inducunt, proprium tamen dicendi obſervent characterem.

Iterum dein Ariſteam aggreditur, ſed adeo inanibus & futilibus inſtructus armis, ut non poſſim ejus non mirari fiduciam. Peracta tranſlatione rogant ſeniores ut omnia in ſtatu ſuo conſerventur. Conſentit Demetrius & jubet ut pro more Judæorum male precentur illis qui in ea tranlatione aliquid aut addant, aut demant, aut tranſponant. Iſte Oxonienſis juvenis ineptam ut paſſim alibi Aſtiſteæ ſecutus verſionem, multus eſt ut oſtendat neque Græcis neq; Romanis, neque Ægyptiis aut Judæis unquam uſitatum fuiſſe ut diras alicui pœnas imprecarentur, niſi in rebus magni momenti & magna neceſſitate, quam dicit nullam fuiſſe in negotio verſionis. Levis nempe & nullius momenti res ipſi videtur ſacras depravare Scripturas. Quorſum vero omnia iſtæc quæ congeſſit imprecationum exempla, quorum ne unum quidem eſt quod ad rem faciat? Millies plura potuiſſet adducere loca, ubi homines Diras

ſeu

ſeu Furias hominibus invocant leviſſimam & ſæpe nullam ob cauſam. Ut vero cognoſcat quantum fallatur cùm putat morem imprecandi librorum corruptores nunquam obtinuiſſe, ſufficiant verba quæ in fine occurrunt Apocalypſeos; *Conteſtor enim audienti verba prophetiæ libri hujus. Siquis appoſuerit ad hæc: apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſiquis abſtulerit ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus à libro vitæ & ex urbi ſancta & ex iis quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Laudat hunc morem *Euſebius* Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 20. de Irenæo agens; *Sed & in fine annotationem optimam invenimus, quæ huic noſtræ hiſtoriæ inſerenda mihi videtur. Sic vero ſeſe habet. Adjuro inquit te, qui deſcribes hunc librum, per dominum Jeſum Chriſtum & per glorioſum ejus adventum in quo judicaturus eſt vivos & mortuos, ut conferas quæ deſcripſeris, & diligenter emendes ad exemplar unde deſcripſeris. Utque adjurationem iſtam ſimiliter deſcribas & codici tuo inſeras.* Quin & addit idem Euſebius; *Atque hæc utiliter ab illo dicta & à nobis commemorata ſunt ut priſcos illos & ſine controverſia ſanctiſſimos viros tanquam pulcherrimum exemplum exactiſſimæ diligentiæ ſemper ante oculos habeamus.* Chronico itaque ſuo ſimilem adjurationem attexuit, ejus què exemplum ſecutus Hieronymus, in cujus antiquis exemplaribus grandioribus & aureis literis exarata comparet. Idem facit Ruffinus in præfatione Origenis περὶ ἀρχῶν. Sed quid opus exemplis, cum infinita illa ſint, & in libris veteribus paſſim obvia.

Nuſquam vero magis excandeſcit Oxonienſis Juvenis quam ubi refert Ariſteas Philadelphum viſis libris ſacris eos propemodum adoraſſe & converſum ad ſeniores dixiſſe; gratias ſe agere & illis, & huic qui eos miſiſſet, & præcipuè Deo cujus iſta eſſent oracula. Acclamantibus vero Senioribus & aliis præſentibus; BENE O REX, contigiſſe ut Rex præ nimio gaudio lacrimas emitteret. Nihil hic dicitur quod non ſemper & ubique & ab omnibus quibus

bus aliquis humanitatis ineſt ſenſus fieri ſoleat. Quis enim in tanto acclamantium cœtu & præ nimia lætitia non continentium lacrimas adeo rigido & atroci ſit animo, cui etiam nolenti non profluant lacrimæ? Attamen juvenis iſte Ariſteam hoc loco vocat inverecundum caput & impudenter & monſtroſe mentiri affirmat.

Multa quoque alia in ſcripto Oxonienſis hujus occurrunt juvenis, quæ caſtigari merito poſſint & debeant, ſed rectius fecerim ſi illa maturiori ejus ætati & adultiori committam judicio, quam ut importunis & ingratis ipſe ea perſequar monitis.

ISAACI

ISAACI VOSSII

AD TERTIAS

P. SIMONII

OBJECTIONES

RESPONSIO.

LECTORIS.

CUm tota ea quæ me inter & P. Simonium orta eſt controverſia verſetur circa LXX interpretes, quæraturque utrum illi aliquando peccarint, an vero recte reddiderint omnia; futurum exiſtimaveram ut pluribus & melioribus P. Simonius inſtructus documentis intentatam jamdudum perſequeretur litem, & ſi non bonis, ſpecioſis ſaltem & aptis ad plauſum popularem argumentis fortius aliquanto veritatem hujus verſionis aggrederetur. Sed vero quam longe mea me fefellerit opinio, cognovi ſtatim ubi ultimum ejus prodiit ſcriptum; in eo quippe relicta quæſtione, relictis LXX interpretibus, quidquid ipſi bilis ineſt, totum id in me effundit, & pro ſexcentis quos ſe collegiſſe dicit horum interpretum erroribus, ſexcentis & pluribus in locis me ineptum vocat. Animus non fuerat quidquam reſcribere, ſatis enim mihi ad incitas redacti videntur, qui cum viribus non valent ad vanam prolabuntur iram & plebeo more ſolis ſæviunt maledictis. Quia tamen non defluere unus & alter inter amicos, qui recte me facturum cenſerent ſi miſſis puerilibus convitiis, iſtis reſpondeam cavillationibus, quas P. Simonius pro argumenentis obtrudere conatur, libenter & illorum & forſan tuo, MI LECTOR, obſecutus deſiderio, damus ea quæ ſequuntur, meliora daturus ſi fortior mihi contigiſſet adverſarius.

Dixerat Simonius meum eſſe commentum id quod ſcripſi de Judæis, illos depravaſſe S. literas ut lucrarentur bis mille annos. Produxi locum illuſtrem ex Abulfarajo, qui

d ipſum quod ſcripſi clariſſimis adfirmat verbis. Respondet Simonius, illum eſſe ineptum ſcriptorem, quod quam verum ſit judicent illi qui legerunt præfationem *Edvardi Pokockii* viri eximii & quo nemo Chriſtianorum peritior eſt in linguis & rebus gentium Orientis. Docet is licet Chriſtianus fuerit Abulpharajus, meruiſſe tamen ut Rex doctorum & primus eruditorum ſeculi ſui ab ipſis quoque appellaretur Arabibus. Eſto tamen ut & ille, & complures alii Arabes, qui id ipſum ſcripſere, fuerint inepti. Erravit tamen Simonius, cum meum id eſſe commentum & me ſolum ſic ſentire affirmat, cum plures dederim teſtes qui iſtam depravationem ſcelus vocent Judæorum. Illis quoque jam addo R. Samuelem ben Juda Hiſpanum, qui quingentos & plures abhinc annos, poſtquam à Judæis ad Mahometanos defeciſſet, de hac ipſa Judæorum depravatione librum ſcripſit Arabice.

Iterum dein affirmat Simonius vaticinium quod Eliæ adſcribunt Judæi, eſſe alicujus Thalmudici doctoris, non autem Eliæ Prophetæ, idque manifeſte ex Thalmude conſtare. Atqui nunquam hoc ex Thalmude probabit P. Simonius, & illum quem adducit locum plerique Judæi de Propheta accipiant. De R. Katina quod ſubjungit eſt effugium, ut tamen acumen ingenii ſui oſtendat, petit à me ut omnes iſtiuſmodi Prophetas *albo ſanctorum quos Anglicana continet Liturgia adjiciam.. Multa enim in illius liturgiæ Calendario ſpatia vacua eſſe relicta, quibus omnes ſan. ſancti prophetæ & ſanctæ prophetides Voſſii facile inſeri poſſint.* Accipio conditionem ſed ea lege ut Reverendus P. Simonius prius mihi ſignificet num iſtas voces quas adeo amat, *coglionerie* nempe & *coglionatore*, ex ſuo hauſerit breviario. Quod ſi ea, ut puto, in illo deſint, efficiat ut inſerantur, & ut impoſterum breviaria Romanæ Eccleſiæ tam pulcris ornata prodeant vocabulis. Id ſi fiat, & ego quoque ſancte promitto facile me impetraturum ut omnia iſtæc prophetarum utriuſque ſexus nomina etiam aureis deſcripta literis noſtris inſerantur Liturgiis.

Pergit

Pergit tamen Simonius & audacter ſcribit iſtum Eliam fuiſſe Thalmudicum doctorem, neque vocat nugaciorem Thalmudiſtis, quia dixeram ipſum eſſe Rabbiniorem Rabbinis, utpote qui tam confidenter affirmet, de quo dubitarunt pauci tantum Rabbini, nam longe major pars ad Prophetam hoc vaticinium referunt Eliam. Negat ullos unquam fuiſſe qui poſteriora illa verba, *ſed propter peccata noſtra præterierunt anni qui præterierunt*, additamentum eſſe dixerint. Negat quoque vaticinium Eliæ Chaldea, additamentum vero Hebræa eſſe expreſſum dialecto, quod tamen ipſi non negant Judæorum magiſtri. Verum ut cognoſcamus quam in omnibus miſere fallatur, adſcribam ipſa Thalmudis verba, quæ exſtant in libro *Schebet Jehuda*, quæque ſic reddidit Helvicus; *Reſpondit Hieronymus; Hæc poſtrema verba non eſſe Eliæ, ſed aſſumentum Rabbinorum, qui cum recuſarent Chriſtum Jeſum pro Meſſia agnoſcere addiderunt hæc verba, quaſi etiam Eliæ eſſent: cum tamen ea in præterito loquantur; abierunt ex illis annis qui abierunt. Reſpondit R. Zerachia; Omnis qui venit ad coarguendum aliquem, non debet afferre teſtimonium ambiguum quod duplici interpretationi obnoxium ſit, quale eſt hoc. Hieronymus enim dicit, poſtrema verba eſſe aſſumentum Rabbinorum: nos autem negamus. Jam ſi ille quærat, cur negemus, nos quæremus, cur ille affirmet? ſic itaque in medio relinquitur teſtimonium, ut neuter noſtrum aliquid firmi inde evincere queat. II. Novit ipſe Hieronymus, quod hic modus obſervetur in Talmud: Si quis Rabbi aliquid proponat, & alter neget, ſi proponens non demonſtret ſuam Theſin, tum illa relinquitur in dubio, donec probetur. III. Probabilius eſt unum eſſe auctorem totius hujus pericopes allegatæ, quam duos. Nam conſuetudo Talmudica eſt, ut ſi quod novum apophthegma ponatur, præfigatur nomen hoc modo: Dixit ille vel ille: at hic id non ſit, ſed eſt continua ſententia. IV. Neque certo conſtat, an hic Elias ſic Propheta ille priſcus, an alius quidam Rabbi. Veriſimile eſt autem fuiſſe alium quendam Rabbi. V. Etiamſi Meſſias*

veniret demum in fine ſexi millenarii, tamen ſatisfieret vaticinio huic, quia non exprimitur, an in principio, an in medio, an vero in fine venturus ſit.

Adhæc reſpondit Hieronymus, ratio temporis adverſatur, quominus de alio quopiam Rabbino intelligi poſſit. Elias enim Propheta vixit longe ante Captivitatem Babylonicam. Atqui hic dicitur, propter peccata noſtra, quæ multiplicata ſunt. Manifeſtum igitur eſt aliquem hæc dixiſſe tempore Captivitatis ſeu exilii, in quo Elias Propheta non fuit. Reſpondit R. Zerachia; Eſto dixerint Talmudici poſtrema verba; tamen nondum ſequitur, quod initio quinti millenarii venire debuerit, &c. Verum quo magis cognoſcamus vera eſſe quæ ſcripſimus, hoc quoque addo; in libro inter Judæos celebri continente hiſtoriam Judaicam, edito Hebraice Theſſalonicæ & dein Venetiis, poſtea non tantum Latine, ſed & Luſitanice & Germanice literis tamen Hebraicis impreſſo, conſcripto à Salomone filio Virgæ; fuſe & copioſe ſatis narrari hunc Judæorum congreſſum cum Hieronymo de S. Fide, appellato antea *Joſua Lurki*. Habita fuit hæc diſputatio *Cæſarauguſtæ* An. CIↃCCCCXII præſente Pontifice Benedicto XIII. antea Petro de Luna dicto, cujus medicus erat iſte Hieronymus. In hac autem tam prolixa diſputatione omnes Judæorum magiſtri unanimiter admittunt verba illa de bis mille annis Meſſiæ, eſſe ſanctiſſimi Prophetæ Eliæ, utpote cui Deus futurorum largitus fuerit ſcientiam. Sed vero cum viderent hac ratione fieri non poſſe, ut Meſſiæ tempus non præterierit, addunt, etiam clauſulam ſeu verba quæ ſequuntur, quæ Hieronymus tempore exilii Judaici aſſuta eſſe dicebat, quibuſque ea quæ præceſſerunt penitus evertuntur, eſſe ejuſdem Prophetæ Eliæ. Quod ſi non admittatur clauſula, nec ſibi quoque neceſſe eſſe ut Prophetæ Eliæ hæc verba adſcribant potius, quam alteri qui ſub ficto hujus Prophetæ nomine miſeris voluerit imponere Hebræis. Judicet nunc vel ipſe P. Simonius, an male locutus ſim, quum dixi illum eſſe Rabbinorem Rabbinis.

Iterum

Iterum dein ad id quod toties dixit redit Simonius, & ut explicet enormem iſtam diſcrepantiam quæ inter Græcos & Hebræos eſt codices in annis Patriarcharum qui ante & poſt diluvium vixere, ſcribit; *iſtas lectionum diverſitates in exemplarium diſcrepantiam rejiciendas eſſe, non in codicum depravationem.* Quod tantundem eſt ac ſi dixiſſet iſtam diſcrepantiam eſſe diſcrepantiam, non autem depravationem. Debuiſſet oſtendere diverſitatis ſeu diſcrepantiæ hujus cauſam, quam plerique non caſui fortuito aut negligentiæ & ſupinitati librariorum adſcribendam eſſe fatentur, cum manifeſta appareat malitia ſtudioque & data opera facta ſit hæc depravatio, ſive LXX Interpretibus, ſive Judæorum eam tribuamus Magiſtris. Hic cum expedire ſe nequeat Simonius, ut ſolet ubique incipere & ubique deſinere, mirifica metabaſi facta, quia Hebræos codices mutos eſſe dixeram, addit, & illa quoque exemplaria unde LXX Interpretes ſuam adornarunt verſionem fuiſſe muta. Libenter conceſſi, ſed addidi, Interpretes hos ſciviſſe mutos iſtos legere & intelligere codices, quos hodierni Judæi nec legere nec intelligere ſe poſſe fatentur. Pergit, hac ratione mutos quoque fore Samariticos codices, *quos tamen nemo ſani judicii mutos appellaverit.* Inter iſtos inſanos tamen & ego quoque nomen profiteor meum, & aſſenſuros mihi credo pleroſque rerum gnaros, qui omnes iſtos Orientalium gentium libros à quibus abſunt vocales, concedunt aut mutos eſſe aut ſaltem ſemimutos, prout magis minuſve compendiaria eſt ſcriptura. In loco Juſtini Martyris fœde me erraſſe dixerat P. Simonius. Reſpondi illum ſomniaſſe cum hæc ſcriberet. Nunc remittit ad cap. ix. diſquiſitionum ſuarum Criticarum, ac ſi ſufficiat ad capreas me ablegaſſe ſilveſtres, cum nec vola nec veſtigium fœdi iſtius erroris ibi compareat. Ne tamen nihil dixiſſe videatur alium reſumit Martyris hujus locum cum hac præfatione, *Longe plura afferri poſſunt quibus conſtaret Voſſium Patrum Scripta ne quidem à limine ſalutaviſſe: at ſatis erit hoc loco expendere quæ habet Voſſius de verbis Jonæ cap. 3. 4. adhuc*

quadraginta

quadraginta dies & Ninive ſubvertetur. Juſtinus Martyr gemino in loco producens hæc verba Jonæ habet *quadraginta tres*, eamque lectionem quare probandam cenſuerim dixi cap. xxiii. Audiamus nunc qua ratione P. Simonius efficiat me in verbis hujus Martyris fœde erraſſe. Dicit Juſtinum Martyrem interpolaſſe ſcripturam LXX Interpretum, & ex verſione Aquilæ addidiſſe *quadraginta.* Conſtare enim dicit *ſanctiſſimum illum Martyrem ſcripturæ verba haud infrequenter proferre ex* LXX *Interpretum ſimul & Aquilæ tralatione.* Nuſquam Aquilæ verſionem profert Juſtinus, quin ſimul damnet & abominetur. Vel unum ex omnibus hujus Martyris ſcriptis promat locum, ubi ille verſionem LXX Interpretum adulterarit verſione Aquilæ, id ſi fecerit, virum eſſe fatebor. Sententiam Theodoreti non opus erat laudare, cum prior eam laudarim, ſed ſic, ut longe prætulerim illam Juſtini Martyris lectionem, qui duobus in locis veram LXX Interpretum exhibet ſcripturam. Fruſtra argutatur quod in altero Juſtini loco adſcriptum fuerit in aliis LXX Interpretum exemplaribus legi *tres* non *quadraginta tres*, ut habet *Juſtinus.* Quis enim adeo eſt ignarus ut pleraque uncis incluſa, inducta & inſitiva eſſe neſciat? Et hic niſi fallor eſt fœdus ille error quem me commiſſe toties affirmat P. Simonius. Non imitabor ipſum in congerendis tot convitiis, hoc ſolum dixiſſe contentus, valde me dubitare utrum P. Simonius habeat naſum. Si forſan habeat, certe non habet naſum criticum, quem tamen valde affectat.

De acceptione vocis προφήτης & προφητεύειν, vix unicam implevi pagellam & tamen me verboſum & garrulum vocat P. Simonius. Dicit illa omnia quæ ſcripſi ad rem non pertinere, me latebras quærere, & nihil niſi nugas reponere. Ut aliquid habeat quo eludat ea quæ ſcripſi de varia vocis προφήτευειν ſignificatione non apud veteres tantum Judæos, ſed & ipſos quoque gentiles: pleraque mea verba confundit, & nequiter invertit, conjungens ea quæ diſtinxi

distinxi & sacra miscens profanis. Sed quorsum omnia hæc nisi ut se nullo veritatis ostendat teneri studio & nihil omnino habere pudoris? Siquid enim haberet, relinqueret quæstionem in suo statu absque ullis cavillationibus. Status autem quæstionis est iste? Num recte, & si recte, quo sensu & Philo Judæus & plerique antiqui Christianorum patres tam Græci quam Latini nullo excepto præter unum Hieronymum, LXX. Interpretes prophetas & θεοπνεύστους & eorum versionem προφητείαν appellarint. Hanc ego quæstionem sic solvi; si interpretes isti S. Scripturas recte sint interpretati, utique etiam fuere Prophetæ, teste non Apostolo tantum 1 *Cor.* 14. ubi omnem S. literarum interpretationem vocat προφητείαν sed & ipso Christo postremo Lucæ ubi discipulis donum confert intelligendi Scripturas. Audiamus nunc quid ad istæc P. Simonius. Quæ reponit hæc sunt; *Verum quo tendat ista Vossii garrulitas, tu ipse judicabis, vir optime. Perinde illi est quid scribat, modo scribat.* Pulcra sane solutio. Cum ipse nihil habeat quod respondeat, remittit me ad hominem nescio quem, viventem in loco nescio, quo ut mihi respondeat nescio quid & quando. Pergit tamen *debuisse me refellere Hieronymum & non excurrere inaniter.* Et hoc abunde à me factum & quidem non inaniter. Dixi enim non audiendum esse unum Hieronymum qui manifeste Christo & Apostolo & omnibus antiquis contradicit patribus, cum à sui temporis deceptus Judæis LXX. illos non Prophetas, sed Interpretes fuisse scribit. At vero eundem Hieronymum audiendum esse quando Christum & Apostolos secutus donum interpretandi non separat à dono Prophetiæ, & LXX. Interpretes *plenos Spiritu Dei & quæ vera sunt scripsisse* fatetur.

Latere aliquem probum est & Latinum & passim obvium. *Latere alicui* & hoc quoque rectum, sed ambiguum & alterius significationis, quia sæpe ponitur pro latere propter aliquem, vel causa alicujus latere. Reprehenderat me Simo-

nius ac ſi dixiſſem præcepta Grammatica ante ſexcentos demum annos à Judæis fuiſſe compilata, negat nunc Simonius ſe tale quid ſcripſiſſe, ſed de punctis fuiſſe locutum. Sed P. Simonius ſeipſum loquentem audiat, ſic enim ſcribit, Cap. xvii. pag. 133. *abſque ullis præceptionibus grammaticis, quæ non à ſexcentis tantum, ut contendit Voſſius, ſed à nongentis & amplius annis inventæ ſunt.*

Dixeram ne nomen quidem Copticæ linguæ extitiſſe antequam Arabes Ægypto potirentur. Reſpondet Simonius; ſe nolle de nomine litigare, ſuam vero ſic declarat ſententiam. *Dico autem ſermonem Copticum ſive Ægyptiacum fuiſſe in Ægypto antequam Arabes potirentur illis regionibus. Verum ſicut ſub Græcis principibus Græcis vocibus auctus fuit, ita ſub Arabibus Arabicis vocabulis adauctus fuit.* Non ſic evadit P. Simonius. Qui ſunt Grammatici & præſertim Critici, qualem ſe profitetur Simonius, illorum munus eſt propriis res quaſque ſignare nominibus. Libenter quidem conceſſerim Copticæ linguæ nomen detortum eſſe ex Ægytiacæ, cum in medii ævi ſcriptoribus non ſemel Ecyptos pro Ægypto ſcriptum occurrat, ſed non inde ſequitur Copticum ſermonem fuiſſe in Ægypto antequam Arabes ea potirentur. Exempla quæ addit non recte ab eo proponuntur, nihiloque melius ſuccedunt, quam ſiquis hodiernam linguamGallicam eandem eſſe diceret,ac fuerit illa quæ ante Cæſarem in uſu fuerit. De Turcica & perſica linguis quæ ſcribit, in iis non habebit conſentientes illos quos nominat populos. Qui probe Turcice norunt, ſi ad antiquam Turcarum patriam ſupra Caſpium mare ſitam peregrinentur, nihil omnino intelligunt. Perſæ vero libenter fatentur ſe veteres ſuos libros ne legere quidem noſſe. De Anglica lingua multo etiamnum magis fallitur, cum putat eandem eſſe ac fuerit illa quæ ante Guilhelmum Normannum obtinuit. Illa quippe erat Saxonica, quæ longius recedit ab hodierna Anglica, quam Latinus ſermo à Græco. Cum vero ſcribit Ægyptium ſermonem fuiſſe uſitatum

uſitatum in Ægypto antequam eam invaderent Arabes, & tum quoque fruſtra eſt. In tota Ægypto proprie ſic dicta, ſolus fere Græcus obtinuit ſermo. Si qui in ea linguæ eſſent gnari Ægyptiæ, illi hanc aut ex libris, aut ab iſtis, quòs Arabægyptios & Libyægyptios vocat Ptolemæus, addiſcere cogebantur. Iſtæ enim gentes cum nunquam Græcis aut Romanis dignæ viſæ ſint, quæ vincerentur; ideo linguam ſuam longe melius conſervavere, quam urbani Ægyptii Nili accolæ, qui Græce loquebantur, cum aliorum, quos diximus, ſermo fuerit Ægyptius, ut facile colligas ex Athanaſio, Palladio & multis aliis. Quia vero horum terras infinita monachorum implevere examina, qui illorum addiſcerent ſermonem; hinc factum ut complures inter eos reperirentur, qui & Græce & Latine & Ægyptiace loquerentur. Nam ſi qui inter illos naſcerentur & non eſſent advenæ, iſtos ſermonis tantum Ægyptii gnaros fuiſſe multis poteſt confici exemplis. Poſtquam vero ante mille & quinquaginta annos Arabes invaſere Ægyptum, in unam quaſi gentem coaluere ſuperioris Ægypti incolæ cum circumſitis populis, ut ſe contra inferioris Ægypti Arabas tuerentur, admiſſis in urbes Ægypti Arabægyptiis & Libyægyptiis, latronibus quidem, attamen à longo tempore Chriſtianam profitentibus Religionem & demum factis Jacobitis ut teſtantur Arabes. Ex hac gentium mixtura prodiit illa quæ Coptica vocatur lingua, quæ tamen & ipſa non diu ſubſtitit. Tempore enim Saladini & Mammalucorum Principum ab annis nempe quingentis & aliquanto pluribus, jam prævalebat in ipſa quoque Thebaide inferioris Ægypti ſermo & adſcribi cœpere Arabica, quæ tamen abſunt ab illis quos vidimus libris, qui ſex vel etiam ſeptem ſeculorum præ ſe ferunt antiquitatem. An id factum ſit quod antiquatus jam illa tempeſtate eſſet ſermo ille ut videtur exiſtimaſſe Petrus Vallenſis, an vero aliam ab cauſam, cognoſci forſan poſſit ex Arabicis quæ præfiguntur præfationibus. De hoc enim nihil quod affirmem habeo.

In verſione Syriaca opus non eſt ut *quæſtionarium* mutetur in *cuſtodiam*, cum apud medii ævi ſcriptores vox iſta non ſemel occurrat pro carcere & loco torturæ. Ut ut tamen admittatur hæc mutatio, quid demum inde lucrabimur, cum in verſionibus Syriacis tot occurrant loca unde confici poſſit, ut cum Bocharto loquar illas admodum eſſe recentes?

Pergit dein ridere P. Simonius & ſimul ringi, quum nihil habeat quo eludat ea quæ ſcripſi de ſecunda Aquilæ editione quam δευτέρωσιν dictam fuiſſe cuique additas fuiſſe oſtendimus traditiones Judaicas. Quid ad hæc Simonius? Poſtquam Auguſtinum & Hieronymum traditionum Judaicarum meminiſſe monuit, ſubjungit; *Iidem quoque patres qui ſecundæ editionis Aquilæ mentionem fecerunt, nunquam illam* δευτέρωσιν *appellant.* Miror frontem Simonii, cum tam manifeſta ſint Anaſtaſii Sinaitæ verba, qui non uno loco docet ſecundam Aquilæ editionem dictam fuiſſe τὴν Ακύλα δευτέρωσιν, ipſumque hoc confirmet Juſtinianus in novellis conſtitutionibus, qui vel ſolus multorum inſtar eſſe poſſit. Quærit tamen Simonius; *an ideo ſecunda illa editio, eſt ſecunda editio verſionis Aquilæ, quia* δευτέρωσιν *vetus Novellarum interpres reddidit ſecundam editionem?* Sed oſtendat P. Simonius mentitum eſſe Juſtinianum cum δευτέρωσιν Aquilæ tribuit, oſtendat erraſſe veterem ejus interpretem, oſtendat quoque falſum eſſe Anaſtaſium Sinaitam, cum id ipſum non uno confirmat in loco. Hodiernos Judæos Miſnam vocare δευτέρωσιν quis neſcit, aut quid ad rem facit? Quis etiam neſcit id quod ex Auguſtino probare conatur Judæos habere traditiones quas vocant orales? Quærit tamen à me cur Epiphanius cum meminerit traditionum Moſis & Akibæ, nullam etiam mentionem fecerit traditionum Aquilæ? Quia id minime fuit opus, cum eædem ſint traditiones Akibæ & Aquilæ. Sufficit præceptorem nominaſſe, à quo illas habuit Aquila. Traditionum vero Aquilæ ſeu Onkelos, ut illum Judæi vocant, ſæpius mentionem faciunt Rabbini.

Hic

Hic demum ubi tot LXX Interpretum errores congeſſerat, fortiter rem gerere & omne ingenii acumen explicare debuerat P. Simonius; verum nuſquam maturius receptui canit, unum tantum hoc promiſiſſe contentus editurum ſe librum quo iterum congrediatur & fortiorem ſe præſtet. Verum ut opinor non iterum congredietur, ſed iterum fugiet. In anteceſſum tamen hoc affirmat eadem arte eademque facilitate, qua ego LXX defendo Interpretes, poſſe quoq; defendi Aquilæ verſionem. Magnam certe Judæorum promerebitur gratiam ſi quàcunque ratione Aquilæ poſſit adſtruere verſionem. Id ſi præſtiterit, facile quoque efficiet ut Talmud de Evangeliis & de Eccleſia triumphet Synagoga & ut ipſe velut Meſſiæ præcurſor ab omnibus adoretur Rabbinis.

Ut oſtendat LXX Interpretes Græce neſciſſe profert dein Hieronymi locum ſcribentis vocem ἀποκαλύψεως ab illis eſſo confictam interpetibus, cum verbum id à nullo ſapientium ſeculi apud græcos fuerit uſurpatum. Sed inſigniter errat. Si enim non ſit Græcum, utique neque καπακάλυψις, ωδακάλυψις, συγκάλυψις, ἐγκάλυψις & ſimilia erunt Græca. Sed fefellit Hieronymum, vel quod ſimplex κάλυψις non ſit ſat Græcum, vel quod ἀποκαλύπτειν in contraria tantum poſitum reperiſſet ſignificatione, pro tegere, obvelare & doloſe recondere; cum tamen apud antiquiſſimos etiam Græcos eo quo apud ſacros ſcriptores ſenſu acceptum occurrat.

Iterum dein LXX aggreditur, & ut oſtendat lectionem hodiernam meliorem eſſe, ac fuerit ea, quam ipſi ſecuti ſunt; profert locum proverb. vi. 16. ubi dicit LXX aliter legiſſe ac ſit in hodiernis libris, quod verum eſt, legerunt enim שמח & poſtea ושבר quod autem dicit melius ſenſum conſtare & melius illum cum ſequentibus cohærere in hodiernis verſionibus quam in Græca, omnino id aliter ſe habet. Fefellit eum quod & alios fefellit, qui quod ſenſum laborare exiſtimarent ante Ἐκκύψει addiderunt ἐξολοθρευθήσονται, quomodo in multis editionibus perperam legitur. Sed vero verba illa Συγκέ-

βεται

βετω δὲ διθαρ ἀκαθάιαν ψυχῆς ad ſequentia, non ad ea quæ præcedunt debent referri. *Quapropter cito venit ejus perditio, confractio & contritio incurabilis, quoniam gaudet omnibus qnæ odio habet dominus. Conteruntur autem propter impuritatem animæ, oculus contumelioſi, lingua injuſta, manus effundentes ſanguinem juſtum, & cor ſtruens cogitationes malas, & pedes feſtinantes ad malefaciendum.* Judicet nunc lector quanto melius cum iis quæ præceſſere,& iſtis quæ ſequuntur hæc conveniant, quam quod vulgo legitur, *Sex ſunt quæ odit dominus & ſeptimum deteſtatur anima ejus,* quæ certe merum faciunt frigus.

Dicit dein perinde eſſe utrum in loco 24. Numer. Gog. legamus an *Agag.* quia âleph apud Hebræos ſæpe additur. Si dixiſſet iſtam literam in compendiaria Scriptura ſæpe omitti, aliquanto quidem melius, non tamen rectè fuiſſet locutus. In tota lingua Hebræa vel unum proferat exemplum ubi nomini proprio iſta in initio litera præfigatur.

In loco *Euſebii* de hexaplis cum adeo plana ſint omnia, ut nihil quod opponat hactenus comminiſci potuerit Simonius, non eſt ut diutius immoremur. Si quis non contentus iis quæ Valeſius ſcripſit ſequi malit errorem Petavii & qui temere illum ſecutus eſt Simonii, per me licet ut unuſquiſque pro captu ſuo ſentiat. Debuiſſet reſpondere argumentis Valeſii, quibus ille ſolide ſatis probavit Origenem nulla concinnaſſe Octapla, ſed hexapla & tetrapla? Quid ad hæc Simonius? Dicit *me totum ab aliis pendere, & ne quidem à limine Patres ſalutaſſe.* Ego quidem non ſoleo patrum ſalutare limina, illos etiam in ſuo Sacrario & in intimo latentes receſſu inviſo, & quidem abſque ullis prævíis officiis, nec indigeo admiſſionali, cum ipſi melius ſuos mihi declarent ſenſus,quam ſi interprete utar Simonio.Dicit autem ille ea quæ ſcripſi non convenire cum iis quæ habet Valeſius, utpote qui Hebraica & eadem Hebraica Græcis expreſſa literis, duabus deſcripta fuiſſe exiſtimet paginis, cum ipſe una eademque illa incluſa fuiſſe dixerim pagina. Atqui

Si

Si dissentiam à Valesio, quomodo verum esse potest id quod paulo ante dixit, me totum ab aliis pendere? Ut tamen cognoscat merito hac in parte me dissentire à Valesio, hoc dixisse sufficiat, si illius sequamur sententiam, non satis bene constare rationem hexaplorum, quo enim referenda septima editio? Quapropter ut intelligamus sensum Eusebii, operæ pretium fuerit verba ejus adscribere, quæ totam rem conficiunt, clareque situm, ordinem & œconomiam ostendunt hexaplorum. Sic itaque ille; Ἔν γε μὲν τοῖς ἑξαπλοῖς περὶ ψαλμῶν μὲν τὰς ὀκτὼ σημειουμένους τέσσαρας ἐκδόσεις, οὐ μόνον πεμπτίλλω, ἀλλὰ καὶ ἕκτην καὶ ἑβδόμην προσθεὶς ἑρμηνείαν ὅτι μιᾶς ἄνθις, σεσημείωται ὡς ἐν Ἱεριχοῖ εὑρημένας ἐν πίθῳ κατὰ τοὺς χρόνους Ἀντωνίνου τοῦ υἱοῦ Σεβήρου. Sic verba Eusebii legerunt cum alii, tum quoque Cedrenus & Nicephorus nisi quod ille omisit ὅτι μιᾶς ἄνθις. Unde apparet etiam olim in ambigua lectione hæsisse multos, nescientes num ad præcedentia, an vero ad ea quæ sequuntur referenda essent ista ὅτι μιᾶς ἄνθις. Hinc factum ut alii sextam, alii ut Zonaras septimam, alii utranque simul versionem in Jericunte repertam fuisse scripserint. Corruptum esse hunc locum censebat Petavius & infeliciter admodum corrigere conatur. Valesius exactissimæ vir diligentiæ, transpositis prioribus verbis ista ad sequentia referenda esse censebat, sic enim vertit; *Rursus in principio unius notavit inventam illam fuisse Hierichunte in dolio*, secutus nisi fallor Zonaram & forsan Suidam, cum tamen Cedrenus, Nicephorus & alii utranque simul & sextam & septimam editiones in eodem istoc dolio repertas fuisse scribant, legerunt quippe εὑρημένας non εὑρημένης. Sed recte se habet ὅτι μιᾶς pro ὅτι μιᾶς σελίδος. Sextam enim & septimam versionem in una eademque Origenes exhibuit pagina, duas dimidiatas pro una computans versione. Eadem ratione Nicetas in thesauro, ubi de Origene agit, affirmat illum, ὅτι μιᾶς σελίδος, sive in una pagina, exhibuisse Hebraica Hæbræis eademque Græcis descripta literis. Non hæsisset Valesi-

us

us, si Græca hujus scriptoris vidisset verba quæ quod nondum edita sint adscribam; Τιθεὶς γὰρ τὴν Ἑβραϊκὴν λέξιν ἐν μιᾷ σελίδι γράμμασιν Ἑλληνικοῖς, καὶ τὰς δύο σελίδας ἀντὶ μιᾶς λογιζόμενος ὡς ἰσοδυναμούσας, ἐπῆγε κατὰ τρίτον, μᾶλλον δὲ δευτέραν σελίδα, τὴν ἑρμηνείαν τῶν ἑβδομήκοντα δύο. εἶτα τὴν τοῦ Ἀκύλα ἔπειτα τὴν τοῦ Συμμάχου· μετέπειτα τὴν Θεοδοτίωνος, εἶθ' οὕτω τὴν πέμπτην ἔκδοσιν· καὶ τοῦτον τὸν τρόπον πᾶσαν τὴν παλαιὰν διαθήκην συντέθηκε διὰ τῶν ἑξαπλῶν. Recte monet Valesius in constituendis hexaplis errasse Nicetam, cum neglecta sexta & septima versione pro illis substituit Hebræum ἔδαφος secutus ex parte Epiphanium, qui tamen multo magis erravit & sibi ipse contradicit, cumhunc Origenis laborem & Hexaplorum & Octaplorum nomine donat. Duas tantum editiones dedisse constat Origenem, hoc ipse fatetur Epiphanius, qui,postquam dixit à numero sex versionum Græcarum Origenem opus hoc inscripsisse hexapla, addit ἢ ὀκταπλᾶ, annumeratis nempe duabus columnis quibus Hebraica continebantur quomodo sibi constent non video. Nam si à numero versionum opus hoc appelletur, quid ad rem facit numerus columnarum aut paginarum, aut quomodo Hæbræi codices versionibus possunt annumerari, quomodo Origenes idem opus duplici inscribere titulo? Quomodoitem fieri potuit ut neque ipse Origines, neque Eusebius, neque Hieronymus Octaplorum istorum unquam meminerint? Facile hinc conficias Epiphanium cum istud sex versionum opus hexaplorum nomine appellat, tum illum recte cum Origene omnibusque doctis fuisse locutum. Quando vero idem eadem hexapla propter apposita gemina Hebræa vocat Octapla, tum loqui cum librariis & indoctis, qui columnas seu paginas non autem versiones numerabant. Simili ratione cum tetrapla, quibus Hebræa accedebant, vocat hexapla & tum quoque cum vulgo & idiotis loquitur. Sive enim abessent Hebraica, sive eadem adessent scripta, tetrapla semper manebant tetrapla. Atque hæc quidem nunc sufficiant. Si quæ alia sint quæ ad ordinem & rationem

Si quæ alia ſint quæ ad ordinem & rationem hexaplorum & tetraploruu pertinent, quæ nondum expoſui, promat illa P.Simonius,& ſentiet me non ſolere aliquid promittere,quod non etiam cum fœnore præſtare paratus ſim. In procuranda vero nova LXX Interpretum editione,opus non eſt ut exſpectetur Elias Rabbinicus. Prodeant prius caſtigatiſſima & jam tot promiſſa programmatis P. Simonii editio: prodeant ſexcenti iſti quos in illis interpretibus obſervavit errores, imo vel unum in quo peccarint oſtendat locum; id ubi fecerit, & ego quoque promiſſum exſolvam.

Iterum dein reſumit locum *Euſebii* ubi dicit *Origenem* non contentum Hebræas didiciſſe literas, comparaſſe ſibi etiam à Judæis exemplar, illis exaratum literis, quæ prototypæ eſſe dicuntur. Retinendam P. Simonius affirmat vulgatam lectionem, prototypas enim Judæorum ſcripturas vocari illas quibus Judæi utuntur, non autem Samaritæ. Sed vel unum ex omnibus antiquis ſiſtat teſtem qui prototypi codicis meminerit illo præſertim tempore quando bis mille & plures præterierant anni ex quo Moyſis prototypum perierat. Ego vero teſtem dedi luculentum Africanum nempe qui Samariticas literas primas & prototypas vocat. Sed vero mirifice & hic & paſſim alibi declamat Simonius &me magnum ſcelus commiſiſſe putat,quod ſine auctoritate libri alicujus manuſcripti πρωτοτύπους mutarim in πρωτοτύποις, ac ſi jam à multis ſeculis ι & υ literæ in libris non promiſcue ponantur. Pergit tamen, Euſebium ſi hoc voluiſſet non ſcripturum fuiſſe παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, ſed παρὰ τοῖς Σαμαρείταις. An ergo Samaritæ non fuere Judæi? Quorſum addidiſſet prototypas ſi non de Samariticis intellexiſſet literis? Etiam ſi vulgarem retineamus lectionem, quæ tamen manifeſte mendoſa eſt, ne ſic quidem verba Euſebii de alio, quam de Samaritico accipi poſſint codice, cum aliorum Judæorum nec literæ, nec exemplaria prototypa dici potuerint. Inſtat tamen & Euſebium hoc voluiſſe dicit; *Origenem non ſolum à Judæorum magiſtris linguam Hebræam addidiciſſe, ſed etiam Hebraicum illorum exemplar, ſibi*

comparaſſe, ut illud ſuis hexaplis inſereret. Addit hæc verba luce meridiana eſſe Clariora, ſunt ſane ſed & quæ inepta ſunt luce meridiana clariora eſſe poſſunt. Si addatur *prototypum*, quod hic non poſuit Simonius, deſinunt eſſe clara & fiunt inepta. Præterea, quomodo linguam Hebræam addiſcere potuit Origenes, ſi nullum habuerit exemplar Hebræum? Quod ſi illud uſu detritum & obſoletum fuerit opuſque habuerit aliud ſibi comparare, adeone ineptus fuiſſet Euſebius ut tam futile factum tanquam rem memorabilem ſuæ inſeruiſſet hiſtoriæ? At vero quam præclara omnia ſe habeant, ſi noſtram ſequamur Interpretationem, judicent rerum & verborum gnari.

Ut oſtendat Simonius Origenem non vidiſſe Samariticum exemplar, eo utitur argumento quod ad Ezechielem 9. v. 4. ſcripſerit didiciſſe ſe à quodam Hebræo in antiquis characteribus literam Tau crucis formam habuiſſe. Inde conficit Simonius, ſi Samariticos vidiſſet aut noviſſet Origenes characteres, opus non fuiſſe ut hæc ab Hebræo addiſceret. Verum turpiter errat. Origenis ætate adeo jam mutatæ erant literæ Samariticæ, ut T litera quidvis potius quam crucis formam repræſentaret. Imo jam ante captivitatem Babylonicam deſiiſſe literam hanc eſſe cruciformem certo indicio ſunt nummi Hebræorum illa tempeſtate cuſi. In antiquiſſimis tantum ſiclis litera T crucis forma conſpicitur quam exactiſſime. Clarum itaque Origenem non ex Samaritica ſui temporis ſcriptura, ſed ab illis qui priſcos iſtos vidiſſent nummos debuiſſe hoc cognoſcere.

Iterum dein ſua producit verba hæc nempe; *Juſtinus Martyr diſputans contra Tryphonem Græcam Aquilæ Interpretationem donat nomine contextus Hebræi.* Addit etiam; *Patres verſionem Græcam Aquilæ donant nomine codicis Hebræi.* Atqui hoc ipſum eſt quod reprehendi. Non Patres tantum, ſed & plerique noſtri ſeculi Theologi cum ſenſum Hebræi codicis volunt declarare dicunt, *in Hebræo ſic legitur.* Nemo tamen ullam verſionem Hebræi codicis nomine donaverit.

Quod

Quod *columnellas* cum Ruffino, ſi tamen ille ſic ſcripſerit, ubique vocet, quas Latini columellas appellant, per me licet ut in eo quoque ſuum ſequatur judicium. Cum dicit ſe ignorare utrum Euſebius decurtarit Africanum, de eo non dubitabit ſi Syncellum adeat qui pluribus in locis id factum oſtendit. Dicit Syncellum mihi eſſe contrarium, nec tamen addit ubi & qua in re. Qui amant tempus perdere, quærant nuſquam invenienda. Aurem deinde Batavam mihi tribuit, quod intelligere nequeam quomodo infinitæ lineæ parallelæ, unam tantum rectam conſtituant lineam. Iſtud vero quia captum meum longe exſuperat, crucem mihi imprecatur.

Redit dein ad locum ubi agitur de Lotho, qui ebrius & neſcius cum filiabus dormivit, cui à Rabbinis appoſitum fuiſſe ſcribit Hieronymus, videri incredibile coire aliquem neſcientem. Hæc cum clarum contineant ſenſum, dicit tamen Simonius verba iſtæc vix illum admittere ſenſum. Affirmat hic agi de punctis regularibus, æque ſcilicet Hieronymo notis ac irregularibus. Sed ſi non illum, qui primo ſtatim intuitu obvius eſt, oſtendat ecquem alium verba iſtæc conſtituant ſenſum, quem ne nunc quidem, licet rogatus, potuit exhibere.

Dixeram R. Saadiam non ante nongentos, ut ipſe volebant, ſed ante 756 annos floruiſſe. Reſpondet P. Simonius, ſeſe poſſe efficere ut 756. fiant nongenti. Iſtum enim Saadiam *collegiſſe puncta quæ dudum à patribus ſuis edita fuerint*. Iterum malè, cum non à parentibus Judæis, quibus ignota erant puncta, ſed ab Arabibus debuerit haurire ſi quam punctorum vocalium habuerit ſcientiam. Vixit enim inter Arabas primo quidem in Ægypto, poſtea vero in Babylonia. Fruſtra eſt itaque cum me mihi contradicere affirmat. Qui enim fieri potuit, ut Judæis Arabibus & qui Arabice ſcripſere, non etiam nota fuerint puncta Arabica? Sed vero ut hoc quoque addam, in ætate, ordine & numero Jaonim non conveniunt inter ſe Rabbini. Qui antiquiorem faciunt Saadiam, illi eo quo diximus anno vixiſſe eum exiſtimant. Sed ſi alios audiamus Rabbinos, uti Eliam Le-

vitam & Manaſſen ben Iſrael, vix poteſt eſſe multo vetuſtior ſex ſeculis. Illi enim Saadiam recentiorem faciunt Jehuda Chiug, qui ante ſexcentos & quinquaginta fere floruit annos. Ut ut tamen verior videatur aliorum ſententia, nihil tamen ad rem facit, quod Saadias mentionem punctorum fecerit vocalium. Eo enim jam tempore nota illa fuiſſe diximus Arabibus, non tamen adſcripta eorum Alcoranis, qui ſi ſex ſeculorum vel æquent vel ſuperent ætatem, vel nullos vel certe quam pauciſſimos, idque in dubiæ tantum lectionis vocibus, appoſitos habent apices.

Argumentum certiſſimum novitatis punctorum depromſeram ex ſeptingentis & pluribus libris Hebraicis qui olim fuere in bibliotheca ſereniſſimæ Chriſtinæ reginæ, à quibus omnibus, ſi quingentis eſſent vetuſtiores annis puncta abeſſent. Quid adhæc Simonius? Dicit me non legere libros, ſed numerare quemadmodum bibliopolæ ſolent, nihiloque plus illos intelligere, quam intelligant bibliopolæ. Seſe vero illos legere diligenter & cum judicio expendere. Si id verum ſit, qui ergo fit, ut bonus toties impingat Simonius?

Specimen dein eruditionis ſuæ Hebraicæ exhibet P. Simonius. Dicit ſe ante complures annos ſcripſiſſe Epiſtolam ad ſapientiſſimum Capellanum, in qua tamen nihil occurrit, ut exiſtimo, quod non norint etiam illi, qui eam non legerunt. Quæ ſequuntur & illa quoque ſæpius allis dicta. Quod dicit codicem Hillelianum non fuiſſe tam vetuſtum quam Judæi prædicant, & hoc quoque alii monuerunt. Ego tamen libens conceſſerim eum fuiſſe vetuſtiſſimum. Sed quod ad rem facit, illud fuerat addendum, notas vocales à recentiori manu huic fuiſſe adſcriptas, atteſtantibus id ipſum illis qui codicem hunc olim viderunt Rabbinis. Sed Simonius huic argumento ſic reſpondet, *alios ſæpe ſcribas eſſe qui codices exarent, alios qui puncta vocalia illis adjiciant.* Sed hoc Rabbinicum effugium ſi verum eſſet, jam quoque in illis exemplaribus, quæ ante tria & quatuor exarata

arata fuere ſecula, iſta atramenti occurreret diverſitas, æque ac in vetuſtioribus.

Fruſtra dein ea quæ ſcripſi cavillatur. Quid enim ad rem faciunt, aut quis neſcit etiam ante Bombergi editionem prodiiſſe quoque Hebræa punctis diſtincta exemplaria? Illa non probarunt nec ſuſpexerunt Judæi, ſed demum iſta quæ primum ex Bombergi Officina præſidente R. Chaim in lucem prodierunt.

Quæ de Daniele Bombergo ſcripſi, ut vera eſſe oſtenderem, produxi verba è Scaligerianis, collectis à fratribus Puteanis. Reſpondet Simonius ſcriptum hoc eſſe nugatorium, pari ratione ac ſupra Abulpharajum vocavit nugatorem. Verum non hoc, ſed iſtud quæritur, utrum falſa ſint quæ illi ſcripſerunt; & utrum omnia ea, quæ non faciunt ad guſtum P. Simonii, ſint etiam nugatoria. Addit me infenſum eſſe Judæis quod illi omnia bona progenitoris mei Bombergi dilapidarint in edendis libris Rabbinicis. Dixi me avunculum habuiſſe illi affinitate junctum, non vero me, qui nulla junctus affinitate nunquam potui inhiare ejus bonis, ut fingit Simonius, quam liberos & nepotes reliquerit quamplurimos. Sed male habet P. Simonium quod infelicis meminerim Bombergi, & ſane non ſine cauſa. Si enim & hujus & ſimilium qui in magnis edendis Bibliis opes ſuas diſſipavere innoteſcant exempla, utique metuendum ut in poſterum deſint qui ad edenda Simoniana polyglotta impenſas conferant fatui.

Oſtenderam craſſum Simonii errorem, quod non conſulto vero & genuino Ignatio, verba Pſeudoignatii attuliſſet. Si ſupinitatem aut negligentiam ſuam hac in parte agnoviſſet, ingenuitatem ejus laudarem. Nunc vero cum rejecto vero, ſpurium & adulterinum huic præfert Ignatium, infelix ejus judicium & ſimul impudentiam ſatis mirari non poſſum. Dicit Pſeudoignatium non eſſe ubique interpolatum. Oſtendat vel unicam in toto pſeudoignatio paginam, quæ non quam fœdiſſime ſit interpolata. Hoc vero in loco non interpolata

terpolata tantum, ſed & præcipua ſui parte truncata eſt lectio. Dicit ſenſum veri Ignatii obſcurum eſſe, Pſeudoignatii vero clarum. Tam clarus eſt, ut ſimul quoque ſit putidus, cum abſint ea verba quæ ſtatum quæſtionis continent. An vero obſcura ſint veri Ignatii verba, judicent illi, qui melius Græce intelligunt quam P. Simonius. Quod Interpretatus ſim quid ſit κέντρον, quid item, φεύκεντρον, dicit me effugium quærere. Hoc nempe ſemper & ubique ſolenne eſt P. Simonio, ut paſſim me latebras quærere audacter affirmet, cum ipſe nuſquam pedem figat, ſitque totum ejus ſcriptum nihil niſi fuga perpetua.

Quæ deinceps ſequuntur in quibus ſcribit dubitare ſe an ulla unquam Herodianorum fuerit ſecta, legant qui velint. Eodem jure dubitet quoque, an ullus unquam fuerit Herodes. Digna quoque eſt P. Simonio prolixa illa digreſſio qua oſtendere conatur, non ovum ovo eſſe tam ſimile, quam Poſtello ſit Voſſius. Facile ex hoc & pluribus aliis intelligas locis, quam ſit plenus Poſtelli P. Simonius, utpote cujus omnia opera legit, relegit, compendiavit & memoriter tenet, ut loquebatur amicus, qui id mihi affirmabat. Sed & libros quos ſe ſcripturum promittit cum hoc titulo *del' coglionatore Voſſio* & ſimul *del' padre Simonio coglionato*; per me licet ut in lucem prodeant, & ut Polyglottis præfigantur Simonianis. Id enim ſi fiat, jam demum integris & non mutilatis aut caſtratis frui licebit Bibliis, utpote quæ vel in ipſa fronte teſtes ſuæ habeant integritatis.

Quæ deinceps ſequuntur talia ſunt omnino, ut miraturus ſim ſiquis aliquod ex iis argumentum poſſit conſtruere, quo vel ea quæ ſcripſi infirmentur, vel quo ſua ſtabiliat P. Simonius. Si ſingula perſequar, quid demum affert quo ſe recte locutum fuiſſe evincat, cum ſcribit Clementem & Patres vafre & doloſe cum Judæis fuiſſe congreſſos? Quid contrà illa quibus oſtendimus vocem Hagiographorum non eſſe mutandam in Hieronymo? Quid etiam contra iſta quæ ſcripſi de volumine Moſis, quod in Synagogis

gogis magis recondunt, quam legunt Judæi? Dicit, *certum esse Judæos in volumina, quæ Synagogarum usui serviunt, nihil fere mutationis invexisse.* Verum, ut hoc persuadeat, ostendendum fuerat Moysem non quinque, sed unum tantum scripsisse volumen, quemadmodum hoc loco affirmat Simonius, quamvis & tum quoque nimium concedit, utpote qui passim alibi nihil Moysis supereresse contendat, sed tantum nescio quæ scribarum de Moyse collectanea.

Ad confirmandam tamen emendationem suam adfert auctoritatem Petri Comestoris & nescio cujus alterius barbari, qui & ipsi apud Hieronymum hagiographa in apocrypha mutanda esse censebant. Miseram criticam istiusmodi nixam tibicinibus! Quod nostra ætate P. Simonius, idem inficeto hoc seculo faciebant isti magistri, ut jugularent quidquid non intelligerent.

Iterum dein ad Danielem se confert, ut ostendat illum æque à Judæis atque à Christianis accenseri prophetis. Produxi locum Thalmudis ubi manifeste Daniel dicitur non fuisse propheta. Verba Thalmudis hæc sunt titulo Sanedrin cap. 11. 16. ad isthæc verba Danielis; *Ut vidi ego Daniel visionem illam: at viri qui mecum erant non viderunt. Quinam illi viri? putant quidam eos fuisse Haggæum, Zachariam & Malachiam. Hi præstantiores erant Daniele, utpote qui essent prophetæ, cum Daniel non fuerit Propheta.* Qui scire velit quam mirifice hunc nodum solvant Rabbini legat ea quæ sequuntur. Dixi itaque multo felicius quæstionem hanc solvisse Montaltum Judæum applaudentibus etiam aliis Judæis. Affirmabat quippe ille, Danielem atque asinam Balaami eadem prorsus ratione vidisse quæ viderunt; illam quidem cernentem quæ non videret ipse Balaamus; Danielem vero videntem ea quæ non viderent ipso majores prophetæ. Verba quæ ex priori meo scripto profert Simonius hæc sunt; *Danielem eadem prorsus ratione quæ scripsit vidisse, atque asinam Balaami cernentem ea quæ ipse non videret Balaamus:* Ad hæc P. Simonius;

viderit

viderit ipſe Voſſius Latiniſſimus, quam inepte loquatur: verba enim illius indicant viſam eſſe à Daniele aſinam Balaami. Judicent nunc qui Latine ſciunt quam futiliter ablata diſtinctione & male verba mea conſtruendo abſurdum ex illis ſenſum exſculpere conetur P. Simonius. Fruſtra quoque eſt in iis quæ poſtea dicit, cum me pervertere ſcribit ſignificationem ineptæ iſtius vocis γραφείου contra mentem Aquilæ & Epiphanii, qui non eo quem adduxi tantum in loco, ſed & alibi γεαφῖα & quod æque ineptum eſt ἀγιό-γεαφα pro iiſdem à Judæis nonnunquam accipi affirmat, nempe pro minutis libellis & ſcriptiunculis, quomodo etiam vocem cœtub à Judæis accipi nemo negaverit. Quod autem addit univerſam S. Scripturam vocari βιβλία, nihil ipſum juvat, cum & illa vox dupliciter accipiatur pro libello, Epiſtola ſeu codicillo, ut in Evangelio βιβλίον ἀποστασίου, & pro libro, ut cum βιβλία libri Moyſis & prophetarum appellantur, & tum βιβλίον non eſt diminutivum, ſed idem quod βίβλος, nempe τὸ ὀκ βίβλου, volumen, codex ſeu ſcapus papyri ſeu membranæ. Ridet iſtæc Grammatica P. Simonius, ſed quomodo poteſt ſe criticum profiteri, ſi grammaticam neſciat?

Quia in iis quæ ante triginta fere ſcripſi annos conceſſeram linguam Hebræam aliquando Syriacam dici, quod poſtea ſi recte loqui velimus non concedendum eſſe monui, multus eſt P. Simonius ut oſtendat me mutari velut luna. Sed vero luna ſemper eadem eſt, quantumvis alia aliaque P. Simonio videatur. Quare autem nunc non concedam ſermonem Syriacum unquam Hieroſolymis uſitatum fuiſſe, patet ex iis quæ jam diximus. Scio quidem pleroſque ſeculi noſtri theologos & complures doctos in eo fere conſenſiſſe, verum quantumvis numeroſa ſuffragia parvi apud me ſunt ponderis, ſi nullis idoneis & ejuſdem temporis fulciantur teſtimoniis. Uno ſolum quamobrem ſic ſentiant utuntur argumento, eo nempe quod cum tempore Chriſti & Apoſtolorum adeo mutata jam fuerit lingua Hebræa ut vix Hebræa

bræa dici potuerit, aliam quærendam esse existiment appellationem, quæ linguæ hujus proprietatem & conditionem signantius aliquanto declaret. Multis itaque placuit ut Syriaca vocaretur hæc seu lingua seu dialectus, à circumsitis undique Syris sumta universali appellatione, cum Syria tam late pateret, ut non tantum quidquid ab Ægypto usque ad Euphratem jacet terrarum, sed & Babyloniam, Mesopotamiam magnamque Armeniæ partem suo complecteretur nomine. Sed velim scire quo tempore & qua ratione lingua Hebræa cœperit esse Syriaca. Sub Syriæ regibus constat multùm eam mutatam fuisse Græci sermonis mixtura, non autem Syriaci. Unde igitur & à quo Syriæ tam late patentis populo admissa fuit à Jerosolymitis ista Syriaca lingua, quam Christo & Apostolis volunt fuisse vernaculam? Non defuere itaque qui eam, æque ac linguam Hebræam, sanctam appellandam esse censuerint. Verùm si Judæos audias, illi linguam Aramæam, id est Syriacam, vocant linguam gentilium, & Aramæos seu Syros gentiles, estque convitium Syrum seu Aramæum quemquam appellare. In Syriaca versione Novi testamenti pro Græco & gentili ponitur Aram, & alibi pro Idololatra. Quam autem odiosi Judæis visi fuerint Syri & Syriaca lingua, vel hinc cognoscas, quod in Thalmude R. Jochanon affirmet, siquis aliquid à deo petat lingua Syriaca, ejus preces ad deum non deferri, quod angeli inservientes deo non intelligant linguam Syriacam. Passim talia in Thalmude occurrunt, ut cum Samaritas medios faciunt inter Judæos & Aramæos, id est Græcos seu gentiles, unde clare satis intelligas nec antiquos, nec hodiernos Judæos unquam admisisse, ut quæ Hebræa, eadem quoque Syriaca diceretur. Ne quidem illi Judæi qui in Syria versione utuntur, quam Christiani & Arabes vocant Syriacam, patiuntur hoc nomen, & Chaldeam jubent istam vocari versionem. Minime vero succedit argumentum quod P. Simonius producit ex Daniele 11. 4. ubi Chaldæi dicuntur respondisse Regi

Syriace, unde concludit Syriacum & Chaldæum ſermonem fuiſſe eundem. Verum exinde concludere debuiſſet, non licitum fuiſſe Reges Aſſyrios alio quam Aſſyrio alloqui ſermone. Pari ratione efficere potuiſſet Romanum & Græcum ſermonem fuiſſe eundem, cum ut habet Valerius Maximus lib. 11. cap. 2. *Magiſtratus Romani magna cum perſeverantia cuſtodierint, ne Græcis unquam niſi Latine reſponſa darent. Quinetiam ipſa linguæ volubilitate, qua plurimum valent, excuſſa, per interpretem loqui cogebant, non in urbe tantum noſtra, ſed etiam in Græcia & Aſia.* Quod autem dicit P. Simonius ſeſe linguam iſtam de qua ſermo eſt, appellaſſe modo Syriacam, modo Chaldeam, modo Chaldaico-Syriacam, meque de nominibus tantum lites intendere, id an verum ſit, alii judicent. Eſto tamen, ſine verbis & nominibus res ipſæ explicari non poſſunt. Si Chaldaicam ſolam nominaſſet, recte fuiſſet locutus. Syriaca enim, ut diximus, nunquam à Judæis fuit admiſſa, ergo neque Syrochaldæa, vel ut loquitur P. Simonius Chaldaico Syriaca, quæ tamen lingua nuſquam occurrit niſi in ſcriptis forſan neotericorum, qui quando expedire ſe non poſſunt iſtiuſmodi fingunt voces, quas ipſa rerum non capit natura, nec accurate ſe loqui exiſtimant, niſi barbaris & monſtroſis utantur appellationibus. Hinc nata Helleniſtica, Syromacedonica, Hebræochaldæa & Hebræogræcolatina & infinitæ aliæ ejuſdem ſignaturæ dialecti, quæ in multis noſtri ſeculi libris utranque faciunt paginam, cum nuſquam apud antiquos & qui caſtigate loquuntur reperiantur. Si Helleniſtæ eo quo a multis fit ſenſu accipiantur, nulla tamen fiet Helniſtica, ut recte monuit Salmaſius. Verum cum idem, hac merito exploſa, Syromacedonicam mavult, dici ſeu linguam ſeu dialectum, id minime probo. Syromacedones quidem recte dicuntur Macedones Syris permixti, ſed nuſquam Syromacedonicam invenias linguam. Multis quidem modis ut populi, ita quoque populorum miſcentur linguæ, unde neceſſum eſt ut ſermo naſcatur hybrida, ſed ple-

plerunque ad breve id contingit tempus, cum potentiorum ſemper gentium prævaleat lingua, & miſcellaneus iſte ſermo ſimulac oritur, deficiat, & velut informis & ſterilis partus, neque enim generant monſtra, in ipſa ſtatim ſupprimatur origine. Quod ſicubi aliquamdiu in limitibus præſertim ſubſiſtere videantur, Græci tamen & Romani ſcriptores iſtiuſmodi ex duabus aut pluribus conflatas non memorant linguas & ne nomine quidem dignas cenſuerunt. Si itaque priſco & uſitato more loqui velimus, abrogandæ ſunt omnes iſtæ hybridæ & noſtra demum ætate confictæ voces, & retinendæ antiquæ appellationes, quæ & in Evangeliis & Philone & Joſepho paſſim occurrunt, qui Hebræam ſuorum temporum linguam, licet multum ab antiqua immutatam, ſemper tamen Hebræam vel Chaldæam idem ſignificante vocarunt nomine. Cum enim jam ab eo tempore, ex quo Euphratem tranſiit Abrahamus, poſteritati ejus Hebræorum acceſſerit nomen, iidemque etiam in Ægypto dicti fuerint Chaldæi, manifeſtum eundem tum fuiſſe Hebræum & Chaldæum Sermonem. Ut tamen ab aliis Euphratenſibus diſtinguerentur Chaldæis, qui idololatræ erant; maluerunt Hebræi, id eſt Abramidæ, potius quam Chaldæi vocari. Iidem tamen erant Hebræi & Chaldæi, & lingua Hebræa eadem quæ Chaldaica, qua & Moyſes & omnes Prophetæ uſque ad Captivitatem ſcripſerunt Babylonicam. Sed illi omnes vetuſtiore Chaldaico ſcripſerunt ſermone, qui quantum diſcrepet ab illo qui poſtea obtinuit, patet ex illis qui poſt captivitatem conſcripti fuere libris. Quantumvis autem magna tot ſeculorum lapſu facta fuerit mutatio, longe tamen major ea fuit quæ poſtea contigit, & quidem longe breviori ſpatio, præcipuè ex quo Græci una cum jugo, linguæ quoque Grecæ neceſſitatem omnibus à ſe victis impoſuere gentibus. Licet paucæ in Evangeliis Hebraeæ id eſt Chaldaicæ occurrant voces, ſatis tamen ex illis intelligimus quantum mutatus Chriſti tempore ſermo fuerit Chaldaicus. Ille tamen Chaldaicus

adeo jam mutatus ſermo, qui erat vernaculus Tranſeuphratenſibus Judæis, quamque addiſcebant Jeroſolymitæ Judæi, more omnibus gentibus uſurpato, quamdiu ſtetere Hieroſolyma & etiam poſtea, appellatus fuit ſermo Hebræus, ac ſi idem fuiſſet cum priſco Hebræo, eadem fere ratione qua navem Theſei, licet nulla trabs ſupereſſet, veram Theſei navem appellarunt Athenienſes, & eundem ſenatum ad complura ſecula poſſe ſuperſtitem eſſe ſenſerunt juriſconſulti. Niſi enim ab iſtis Tranſeuphratenſibus Judæis, quorum infinitus fere numerus verſabatur Hieroſolymis, unde demum Hebrææ ſeu Chaldaicæ iſtius temporis linguæ peritiam haurire potuerunt Hieroſolymis viventes Judæi? Ad traditionem ut vocant confugere aut exiſtimare florente & regnante jam à multis ſeculis Græco ſermone, potuiſſe nihilominus conſervari ſermonem Hebræum, id demum fuerit palam nugari, cum nullum dari poſſit linguæ alicujus exemplum, quæ ſuperveniente & prævalente alia lingua non penitus ceſſet & brevi tempore deficiat & deſinat eſſe naturalis. Ut itaque finem faciam hoc addidiſſe ſufficiat, quamvis à multis populis, qui nominantur in Actis Apoſtolorum habitarentur Hieroſolyma, ſolum tamen Græcum & Romanum ſermonem fuiſſe vernaculum. Florebat quidem & multis etiam erat familiaris lingua Hebræa, ſed ea ratione qua apud nos Lingua Latina, hac tamen differentia, quod plurimi quoque è plebe ex converſatione & commercio cum aliis Parthicæ ditionis Judæis iſtam intelligerent linguam. Iſta autem Hebræa, erat Chaldæa ſeu Babylonia iſtius temporis lingua, quam ſolam velut puriorem & patriam & antiquam Abrahami linguam ſemper ſuſpexit & amplexa fuit Abrahami poſteritas. Verum tempore Chriſti & jam diu antea inter Judæos Hieroſolymitanos non amplius naturalis erat hæc lingua, ſed vel in Scholis ſub Magiſtris, vel ex commercio & familiaritate cum Judæis Babyloniis, quibus ſolis erat vernacula, addiſcebatur. Nulla autem erat Syriaca, niſi per Syriacam

intel-

intelligas Græcam. Nam certe omnium Syrorum in imperio Romano viventium communis & vernacula ſola erat lingua Græca, & Aramæum, ut diximus, ipſi etiam Syri & Judæorum magiſtri de Græco accipiunt ſermone. Ex Evangelio Matthæi, quod etiam Hebraice, id eſt Chaldaice, ſcriptum fuiſſe conſtat, non recte petitur argumentum, ut enim Joſephus belli Judaici hiſtoriam Hebraice à ſe exaratam fuiſſe affirmat in uſum Judæorum ultra Euphratem degentium; ita quoque hoc Evangelium utraque prodiit lingua: Græce quidem ut in imperio legeretur Romano; Hebraice vero in uſum Gentium in Parthica viventium ditione, quibus Babylonius ſeu Chaldaicus ſermo erat vernaculus.

Locum Joſephi ita ut diximus interpretandum eſſe ſiquis non admittat, is parum in literis profecit. Attamen P. Simonius vulgatam defendit verſionem, ac ſi Joſephus Hebræam ſuam edidiſſet hiſtoriam in uſum defunctorum. Ipſe quidem hoc negat, ſed audiamus quomodo; *Neque tamen Joſephus hiſtoriam ſuam condidit in uſum jam olim defunctorum; ſed barbarorum, id eſt, hominum gentis ſuæ, qui à priſcis temporibus Palæſtinam incolebant, & quibus vernaculus erat ſermo Chaldaicus ſive Syriacus, quem Joſephus patrium appellat. Hic itaque dictio* οἱ ἄνω *tempus denotans ſignificat antiquos regionis illius incolas.* Quorſum iſtæ ambages & inexplicabiles labyrinthi, in quibus ipſe ſeipſum miſere perdit Simonius? Dicit οἱ ἄνω accipi poſſe de tempore nempe præterito. Præterito autem tempore fuiſſe antiquos, itaque τοὺς ἄνω eſſe antiquos. Verum qui Græce norunt ſciunt etiam τοὺς ἄνω non ſignificare antiquos, ſed illos qui fuere, etiamſi non ſint antiqui. Poſito tamen hoc errore pergit, per antiquos non intelligi iſtos qui eſſe deſierunt, ſed illorum præſentem & futuram poſteritatem. Hic eſt fructus criticæ Simonianæ, quam ſi ſequaris, quidlibet è quolibet facile efficias. Eſt tamen & alius qui non acquieſcens in ea quam dedi expoſitione contendit vo-

cem ἄνω posse etiam accipi de omni tempore, utiturque ut audio argumento sane quam subtilissimo. Dicit voculam ἄνω constare ex prima, media & ultima alphabeti literis, signo ut ipse putat certissimo, ea istam præditam esse potestate, ut per hanc præteritum, præsens & futurum tempus signetur. Prosint illis tam bella commenta.

Cum nullum in toto Romano imperio possit ostendere scriptorem, qui Syriaco aut Hebræo sermone ullum ediderit librum, redit ad Hebræam quam scripsit Josephus belli Judaici historiam. Frustra, cum ipse Josephus, non in usum Judæorum qui Romano essent obnoxii imperio, sed illorum qui in Parthica viverent ditione eam se conscripsisse verbis testetur clarissimis.

In titulo crucis Christi quod Græcis & Romanis accesserint quoque Hebraica, nihilo magis inde sequitur Hebræam linguam Hierosolymitis fuisse vernaculam, quam siquis Latinam Gallis, Germanis & aliis dixerit esse vernaculam, quia etiam istac in inscriptionibus utantur lingua. Nec opus erat Transeuphratensibus lynceis oculis ut istos legerent titulos, satis enim multi illorum versabantur Jerosolymis, ut ex actibus constat Apostolicis. Multi quoque non tantum è doctis, sed & ex ipsa plebe Jerosolymitana propter commercium cum vicinis populis Chaldæam omnibus fere orientis gentibus communem norant linguam.

Quæ deinceps sequuntur mirifica sane sunt. Dicit Judæos qui in Palæstina commorabantur, linguam Chaldæam, quam à suis patribus acceperant, Hieronymi etiamnum ætate retinuisse. Unde hoc habet, nam certe verum non potest esse, cum jam ab integris septem seculis in regione Hierosolymitana Chaldæus seu Hebræus sermo cessarit, nihilque tale scripserit Hieronymus. Si dixisset Parthos, Syros & Arabas, qui omnes Chaldæam seu Babylonicam illius temporis maxime sequebantur & affectabant loquendi dialectum, occupata ante Hieronymi ætatem universa pene Syria & magna Palæstinæ parte, introduxisse una

una cum imperio ſermonem quoque Chaldaicum, recte ſane fuiſſet locutus. Quin & mirifica eſt ſimilitudo qua id adſtruere conatur; *Sic etiam hodie*, inquit Simonius, *Judæi Hiſpani, qui in oriente diſperſi ſunt, præter Turcarum linguam ſervant quoque Hiſpanicam, habentque Biblia Hiſpanice converſa, quæ Hebraicis characteribus exarata ſunt.* Marianam hoc loco ſecutus videtur, cujus ætate aliqua ratione verum id eſſe potuit, ſiquidem cum iſta ſcriberet Mariana ne integrum quidem exſpirarat ſeculum à quo pulſi Hiſpania eſſent Judæi. Attamen qui eodem quo Mariana ſcripſere tempore aliter loquuntur. Profugi enim ex Hiſpania Luſitaniaque Judæi, ſiqui in fuga non periere, illi fere omnes per Maurorum diſſipati fuere terras, ut neſciam omnino quoſnam hic intelligat P. Simonius Hiſpanici generis Judæos, qui per orientem fuere diſperſi. Qui vero inter Mauros verſantur Judæi, ante duo fere ſecula ex Hiſpaniis profugi, illorum poſteri Mauritanum jamdudum adoptarunt ſermonem. Quod ſi aliam præterea addiſcant linguam, illa eſt lingua Franca vulgo appellata, omnibus qui iſtic vivunt Chriſtianis Judæis & Mauris fere communem, illam quidem ex pluribus Europæis, præcipue tamen ex Hiſpanica, Luſitana, Italica Gallicaque conflatam linguis. Multi quidem illic reperiuntur Judæi qui diſtincte iſtas calleant linguas, ſed illi in Scholis eas addiſcunt, eadem prorſus ratione ac linguam Arabicam Mauri.

Quæ ſubjungit, non video quomodo cum prioribus cohæreant, quodve ex iis conſtrui poſſit argumentum. Dicit; *Res forenſes in Francia ante Franciſcum primum Latinè agebantur in curiis.* Et poſtea; *An ideo tunc miſeri erant Franci, quos conſtat Latine locutos non fuiſſe?* Conſtat veteres Francos una cum Religione Chriſtiana, linguam quoque aſſumſiſſe Latinam, illam quidem non puram, talem tamen qualis illa tempeſtate & Romæ & in toto Occidentis imperio erat uſitata. Iſtiuſmodi linguam docti illorum temporum vocant Latinum ruſticum, quia nec caſus variare,

variare, nec tempora & modos verborum distinguere & digerere nossent. Boni tamen ominis causa placuit ut Romanum, vel Latinum Christianum barbara ista diceretur Latinitas. Prævaluit nihilominus in toto Occidentis imperio iste aliquanto purior Latinus sermo usque ad annum à Christo nato fere millesimum, quando demum multi prodierunt libri Romanica seu potius rustica Latina conscripti lingua. Hinc factum ut paulatim in desuetudinem abierit sermo Latinus & à solis addisceretur doctis, à vulgo autem non intelligeretur. Quid ni ergo miseri tunc fuere isti Franci, quorum causæ agebantur lingua quam ipsi non intelligerent. Quod autem & me miserum vocat, quod non admodum gnarus linguæ sim Anglicæ, quid hoc ad P. Simonium?

Adduxeram locum Theodoreti quo probarem ut nunc, ita quoque illius olim ætate nusquam Hebræam linguam fuisse naturalem, sed studio acquisitam, cum Hebræorum pueri non statim Hebraica utantur lingua, sed illarum gentium in quibus nascuntur. Ubi adoleverint, tum eos addiscere characteres Hebræos & sic demum linguam Hebræam. Audiamus nunc quid ad hæc Theodoreti verba P. Simonius; *Ista quidem vera sunt, sed nihil faciunt ad institutum. Nam pueri Hebræorum Hierosolymitanorum, gentis etiam suæ linguam, quæ Syriaca erat aut Chaldaica, primum addiscebant; dein docebantur literarum Ebraicarum characteres; sicque tandem scripturam Sacram Hebraicam addiscebant.* Si ut dicit vera sunt ista quæ scribit Theodoretus, cur ergo verba ejus invertit & contrarium illis sensum affingit? Ubi est in Theodoreto illud *etiam*, quod de suo addit Simonius ut efficiat pueros Judæorum cum lacte materno imbibere duas linguas Hebræam scilicet & gentium in quibus nascuntur? Theodoretus gentium linguam præcedere scribit & nusquam reperiri pueros affirmat, qui statim Hebræa utantur lingua: ab adultioribus demum addisci literas Hebræas & postea linguam. Simonius vero invertit ordinem,

dinem, & primo linguam, deinde literas ponit, quod perinde est ac si quis nostro hoc tempore pueros in scholis primo linguam Latinam, deinde alphabetum Latinum addiscere dicat. Verum quid demum est depravare libros & corrumpere sensus scriptorum, si non sit illud quod facit P. Simonius.

Ut Origenem sibi ipsi adversari ostendat, producit locum ejus ex commentariis in Joannem, ubi dicit exemplaria versionum Aquilæ, Symmachi & Theodotionis nondum esse corrupta. Simonius hæc verba sic accipit, ac si Origenes illorum versiones veluti puriores præferendas esse censuisset versioni LXX Interpretum. Verum non intelligit Origenem, aut se non intelligere simulat. Cum longo seculorum lapsu magna sæpe lectionum in libris soleat occurrere varietas, nondum id factum fuisse dicit Origenes in Aquilæ & recentiorum etiamnum Interpretum versionibus, cum non soleant libri eodem quo scribuntur seculo depravari. Utile itaque esse dicit, ut si quando dubia aliqua in LXX Interpretibus propter discrepantiam exemplarium occurrat lectio, præsertim in nominibus propriis, ut & horum consulentur versiones, ut sciamus quomodo illi in suis invenerint exemplaribus. Frustra dein subjicit, velut causam quærens, cur Origenes *Interdum Græcam* LXX *Interpretum tralationem cæteris versionibus præferat*, ac si non semper eam præferat. Origenes non esset Origenes, si ita locutus fuisset. Frustra quoque est cum paulo post quærit à me, quomodo Samaritæ, qui non agnoscunt vocales Masoreticas, damnum vocalium resarcire potuerint; ac si Samaritarum scriptura non sit æque aut etiam magis muta atque aliorum Judæorum, cum certas lectionis non habeant regulas, aut sane quam pauciſſimas, & quibus ne ipsi quidem multum tribuunt, ita ut vocales ipsis sint pæne arbitrariæ.

Iterum dein Batavas mihi P. Simonius exprobrat aures, ut pote quæ non admittant ineptias, nec intelligant quomo-

do Nebucadneſar & Nebuchodonozor eundem efficiunt ſonum. Provocat ad Anglos qui A pronuntiant ut E, provocat ad Gallos, Hiſpanos, Turcos, Arabas, Maronitas & complures alias gentes, quæ vocales ſæpe vocalibus permutant. Poſt tam longum tot populorum catalogum, nondum tamen Nabuchodonoſor factus eſt Nebucadneſar, agitur de pronunciatione, ſed quæritur quomodo ſcribendum iſtud ſit vocabulum. Cum in hoc & in infinitis aliis nominibus omnes antiqui conſpirarint Judæi, debuiſſet oſtendere, ſi non ab indoctis Maſoretis, à quibus demum aliis pleraque ea quæ diximus nomina tam perverſis ſignata fuerint vocalibus.

Cauſam dein reddit quamobrem tanti faciat Hieronymum ut illum unum omnibus ſimul junctis præferat patribus. Dicit illum felicius artem criticam exercuiſſe quam quiſquam alius. Id vero ſic probat, quòd Hieronymus *fictas iſtas* LXX *Interpretum ædiculas, quas Juſtinus Martyr & alii Patres cum Judæis admirati ſunt, etiam ſuſtulit.* Non opus erat Hyeronymo tollere ædiculas, quas jam plurium ſeculorum ſuſtulerat ætas. Quod ſi parietinæ & reliquiæ aliquæ ſuperfuerint, quid mali meruere iſtæ ut porro ab Hieronymo everterentur? Eſto non fuerint eædem, ac iſtæ quas inhabitarint LXX Interpretes, quid hoc ad illos aut illorum verſionem? Siquis Hyeroſolyma adeat & videat monumenta & ædiculas in quibus Chriſtus & Apoſtoli magna edidiſſe dicuntur miracula, & tamen incredulus ædificia iſtæc non tantæ dixerit eſſe vetuſtatis, ideone ſtatim pro magno mereatur haberi critico? Ut tamen Hyeronymus magnus fiat criticus, dicit illum evertiſſe iſtas ædiculas, & ſic pergit; *Cur ergo Voſſius ſimiliter non credit recte quoque ab eodem Hieronymo ſublatam fuiſſe* LXX. *Interpretum prophetiam?* Quia mavult Voſſius Apoſtolo & omnibus antiquis credere, qui prophetiam vocant interpretationem S. Scripturæ, quam uni Hyeronymo miſere à Judæis ſui temporis decepto: Nam antiqui Judæi omnes idem

cre-

credidere quod Apoſtoli, & verſionem S. Scripturæ prophetiam appellarunt.

Dicit dein Lucam Evangeliſtam in actibus Apoſtolicis ſcribere *ſermonem Hieroſolymitanorum Judæorum vernaculum fuiſſe Syriacum.* Nuſquam hoc dixit Lucas. Nuſquam in toto Novo Teſtamento & ne in toto quidem imperio Romano linguam invenias Syriacam. Hebraicam aut Chaldaicam dicere debuiſſet, quamvis ne ſic quidem recte fuiſſet locutus, cum hæc lingua propria quidem & avita fuerit Jeroſolymitis, non autem naturalis ſeu vernacula uti Græca, cum non infantes, ſed qui adultioris eſſent ætatis Hebræam demum addiſcerent linguam, uti etiam faciunt Judæi hodierni, qui ubi ubi gentium fuerint, primum populi inter quos naſcuntur, deinde vero antiquam & patriam & omnibus Judæis communem & propriam, uti etiam ipſi Judæi loquuntur, addiſcunt linguam. Fruſtra itaque adducit locum de aceldama, quis enim neſcit etiam hodiernos Judæos, agris, cœmiteriis & aliis ſuis rebus nomina imponere Hebraice?

Quod laudet Hieronymum quia is putabat Stephanum protomartyrem non ex LXX Interpretibus, ſed ex Hebræis exemplaribus hauſiſſe ea quæ in concione S. Scripturæ producit loca, id ego minime laudo, & male omnino ab illo factum fuiſſe cenſeo. Cum Chriſti & Apoſtolorum & Evangeliſtarum pleraque quæ è ſcripturis producuntur teſtimonia, quam exactiſſime cum LXX conveniant interpretibus, nulla eſt cauſa ut unum excipiamus *Stephanum*, & ut ſuſpectam Evangeliſtæ habeamus fidem.

Quod ex loco *Act.* 21. adſtruere conatur Jeroſolymitas Græce non fuiſſe locutos, ſed Hebraice; & tum quoque errat nec percepit ſenſum Evangeliſtæ. Ut apud tribunum odium Paulo conflarent ejus adverſarii, accuſarant eum tanquam ſi is eſſet latro & Pſeudopropheta iſte Ægyptius de quo *Joſephus* lib. Antiq. 20. & fuſius aliquanto 11. de bello Judaico, ex quo facile colligasillum fuiſſe Arabægyp-

tium, ex illa nempe Ægypti parte quæ Arabiæ accenſetur Illi vero, cum nunquam à Græcis aut Romanis fuerint ſubjugati, Arabice omnes loquebantur, non Græce. Cum itaque tribunus Paulum Græce loquentem audiret, dicit illi; *Græce ſcis, non ergo es iſte Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitavit, & eduxit in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum.* Sic vertenda hæc, deletis ſignis interrogationis male vulgo appoſitis. Cum enim Paulum Græce loquentem audiret tribunus ille, ſtulte quæſiviſſet, num Græce loqueretur.

Cum inter omnes Chriſtianæ Eccleſiæ patres, præter unum Hieronymum, neminem ſibi faventem habeat P. Simonius, ut paſſim alibi, ita quoque hoc iterum in loco longe lateque ſe diffundit, & quod argumentis & rationibus non poteſt, inani verborum efficere conatur copia, ut nempe erranti per avia & laſſo jamdudum Hieronymo, ſocium & comitem erroris adjungat, & invitum ſequi jubeat Origenem. Iterum itaque producit locum ejus de quo paulo ante diximus, qui tamen ut oſtendimus longe alium habet ſenſum, quam ipſe exiſtimat. Pergit tamen aſſeveranter affirmare prælatam LXX Interpretibus ab Origene multis in locis Aquilæ fuiſſe verſionem, ac ſi unius Simonii vel millies repetita aſſertio, alicujus eſſe debeat autoritatis ipſo reclamante Origene. Conſuluiſſe illum verſiones Judaïcas norunt omnes & ipſe paſſim fatetur, ut nempe ampliaret judicium, ſicubi varia & dubia in LXX Interpretibus occurreret lectio. Ex omnibus Origenis operibus vel unum proferat locum ubi vel erraſſe LXX Interpretes, vel Aquilæ & aliorum verſionem meliorem eſſe dixerit.

